ALESSAN

n. 24.

B. h. 15

ATHANASII KIRCHERI

é Societ. Jeſu,

SPHINX MYSTAGOGA,

Sive

DIATRIBE HIEROGLYPHICA,

Qua

Mumiæ, ex Memphiticis Pyramidum adytis erutæ, & non ita pridem in Galliam tranſmiſſæ, juxta veterum Hieromyſtarum mentem, intentionemque, plena fide & exacta exhibetur

INTERPRETATIO.

Ad

Inclytos, abſtruſiorumque Cognitionum peritia inſtructiſſimos Galliæ Philologos directa.



AMSTELODAMI,

Ex Officina JANSSONIO-WAESBERGIANA.

Anno MDCLXXVI.

JOHANNES PAULUS OLIVA
Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu.

CUm opus, cui titulus Sphinx Myſtagogica *à* P. Athanaſio Kirchero *noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtatem facimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtra manu ſubſcriptas, noſtroque ſigillo munitas damus. Romæ 2 Decembris* 1673.

JOHANNES PAULUS OLIVA.

Imprimatur Fr. RAYMUNDUS CAPISUCCUS,
Ord. Prædicat. S. Palatii Apoſtolici, Magiſter.

Illuſtmo, Excellmo, & Revermo Archipræſuli

D. CAMILLO DE NEUFVILLE
ARCHIEPISCOPO,
Comiti Lugdunenſi, Galliarum Primati,
Regiorum Ordinum Commendatori,

Et apud

Lugdunenſes, Seguſianos & Belluocenſes Proregi meritiſſimo,

Domino meo Colendiſſimo

ATHANASIUS KIRCHERUS

E Societate JESU

Felicitatem precatur.

M*Umiam*, Venerande Præſul, jamdudum ex Niloticis Pyramidum hypogæis erutam, atque haud exiguo pretio à negotiatore *Gallo* coemptam, *Lugdunum*, veluti in nobile bonarum artium ſcientiarumque Emporium, felici ſua ſorte delatam, nec non præſenti *Diatriba* expoſitam, Venerando Conſpectui tuo ſiſto; *Mumiam*, dico, non aridam, non tetrâ infumatam fuligine ſqualidam, ſed præſtanti balſami liquore, cæterisque pigmentariæ artis fucata induſtria ſubactam conditamque; &, quod potiſſimum magni æſtimandum, priſcæ Sapientiæ hierogrammatiſmis, undique & undique quam ſtudioſiſſimè inaratam: ut proinde corpus iſtiuſmodi minime inutile otioſumque, &, ut cum *Græcis* loquar,

ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης

videri cenſerique queat, quod tam ambitioſo Notarum Symbolorumque apparatu, tam affectata

 ſol-

ſollicitudine, curâ & diligentiâ, ſeræ poſteritati priſca commendavit Religio: Monumentum, inquam, rerum varietate rarum, abſtruſâ eruditione peregrinum, nec non exoticis dogmatum myſteriis confertiſſimum. Quod & ſimulac in veſtras appulit oras, Viros cæteroquin Παλαιολογίας peritiâ claros, uti novitate rei perculſos, in non exiguam admirationem rapuiſſe, ita & curioſitatis ſtimulo, ad latentium ſub ea veritatum ſacramenta medullitus indaganda, percitas mentes acerrimis agitaſſe calcaribus, non ſine animi mei voluptate intellexi: adeo ut non defuerint qui ingenii viribus pollentes, & occulta Ægyptiacæ Theurgiæ Sacraria, ſcitius Lararia, altius quidem ingreſſi, nonnihil in arcanis detegendis audacter attentarint: viſis tamen tot inſolitis tortuoſiſque Notarum ductibus, obſervatis tot polymorphis Imaginum monſtris, confuſo huic *Morphei* Regno ſe concredere uti non ſunt auſi, ita quoque ab intentæ Veritatis inquiſitione, ulteriorique indagine, irrito conamine deſtiterint. Quid porrò? Cum aliud ſupereſſe non videretur, *Theſei* conſilium ſecuti, à mea tenuitate ingenii *Ariadnæ* filum, quo in hoc inextricabili Labyrintho, ſpreta *Minotauri* ferocia, ad abditam inacceſſamque Myſteriorum opulentiam à *Sphinge* promiſſam, pertingere poſſent, valida deprecatione inſtanter contenderunt. Ego ſane tam laudabili poſtulatione inſtimulatus, nefas eſſe ratus ſum, Virorum omnigena eruditionis fama illuſtrium & vere πολυδιδάκτων, quantum quidem ingenii mei imbecillitas, & argumenti hujus necdum penitus adhuc comperti profunditas permitteret, ardentibus votis non obſecundare; tametſi probe mihi conſcius ſim, quam plenum

aleæ

aleæ opus, quam difficile & arduum ſit, in hoc Hieroglyphicæ eruditionis Theatro geſtum facere. vicit tamen ad gratificandum invicta mentis conſtantia, fregit formidinis vincula implantata mihi agnataque in conclamatis pæne hujusmodi diſſolvendis nodis pronitas & inclinatio. Acceſſit hiſce nonnulla ſpei rima, quâ introſpectâ ſinguliſque intimè exploratis, indubiè proſequi me poſſe quod jubebatur, firmiter mihi perſuadebam: vel ex hoc potiſſimum capite, quod jam ferè ſex luſtrorum decurſu, id eſt, ad tricennium in Obeliſcorum Romanorum interpretatione, ſi non *Oedipi* ſaltem *Davi* munere functus, operam meam continuato ſtudio, trium Pontificum juſſu contulerim: ac proinde accidit ut quotidiano experimento uſuque rerum eruderandarum peritior oculatiorque, non adeo magnæ molis mihi videbatur, *Sphingis* hujus *Myſtagogæ* argumentum ænigmaticum, à nodis quibus involvebatur abſolutum, publicæ luci, in Reip. literariæ emolumentum committere. Quâ verò ingenii felicitate id præſtiterim, uti meum non eſt determinare, ita veſtrorum Palæſtritarum πανεπιςαμένων, limatiſſimo judicio, germano candore & ſinceritate ſubdendum cenſui, æqua atque iniqua judicia pari æquanimitate exſpectaturus.

Hanc itaque de *Mumiis Diatriben* ἱερογλυφομένlω, glorioſo Nominis Tui ſplendori *Sacerrime Præſul*, ea qua poſſum animi ſubmiſſione & obſervantiâ inſcribo, dico, conſecro. Munus, fateor, levidenſe, attamen opuſculum vel ex eo nomine Tibi non diſpliciturum confido, quod ab homine prodeat, qui Te, tuaque ſingulariter amat, ſuſpicit, & veneratur. Accedit hiſce Tuorum cumulus

mulus

mulus meritorum, quo cunctos Tibi quam obſtrictiſſimos reddis, ſanctæ videlicet converſationis exemplo, heroicarum virtutum ſtudio ſociato. Splendet in Te omnium diſciplinarum, quas capaciſſimo Tuo ingenio poſſides, cultura, tanto ubique illuſtrior, quanto arctius ſummæ humanitatis & benevolentiæ, quâ in Literatos diffunderis, affectui jungitur. Denique, ne non adhæream propenſæ Tuæ voluntati in noſtræ Societatis Patres tot beneficiis cumulatæ, intima animi demonſtratione. Ut proinde ex tanto Virtutum complexu, haud immerito ingratitudinis dicam incurriſſe videri poſſim, ſi *Te, illuſtre Eccleſiaſtici Principis prototypon*, ſine immortali Nominis Tui conteſtatione, cedro perenniori monumento poſteris relicto, præterirem. Vale, *Sapientiſſime Præſul*, longævos in annos, Vale Gallicanæ Eccleſiæ decus & Ornamentum.

Dabam *Romæ*, 25 *Decembris*,
Anno 1675.

PROOEMIUM
ad
LECTOREM.

S*Ena fere jam annorum luſtra aguntur queis* Avenione *in* Gallia *prima* Oedipi rudimenta, *ad id me ſollicitante, & qua conſiliis qua auxiliis ſubveniente, immortalis memoriæ Viro* Nicolao Peireſc τῷ μακαρείτῃ *in* Dicaſterio Aquiſextino *Senatore ſapientiſſimo, jeci, & tandem ſubſequentibus annis, ſub* Trium Pontificum, *nec non* Ferdinandi Tertii *Cæſaris auſpiciis, Opus omnibus numeris Orbi Literario exhibui: in quo viginti annorum decurſu, dici vix poteſt, quanto labore, in ignota hujuſmodi Hieroglyphicorum doctrina enodanda, id mihi ſteterit. Et enim quot difficultatum ſcopuli ſuperandi, quot, quamque inculta, invia & devia deſerta adeunda, cum quantis pantamorphæ Naturæ monſtris dimicandum fuerit, ſolos illos noſſe exiſtimo qui ſimilia attentaturi, mox inſuperabili difficultatum ſuperandarum labore territi, veluti deſperatione in tranſverſum acti, protinus à propoſito ſibi tramite deſtiterunt. nec mirum: dum, quod oblivioſa temporum vetuſtas, in tenebris, vix ulla ſpe ad ſcopum pertingendi relicta, latere voluit, id tentare præſumptuoſius, ne dicam aſſequi, oppidò audax facinus eſſe ſibi perſuadebant: dum experimento docti norant, quam difficile, arduum, ac plenum aleæ opus ſit, ſine luce prævia, nullo inſuper viarum intricatarum duce & comite, horrendos & confuſos hujuſmodi ſylvarum receſſus ingredi, ſine* Ariadnæo *filo perplexis hujuſmodi Labyrinthis ſeſe committere. Certe ſi ullus, ego cumprimis id experimento me didiciſſe fateor, quàm in principio ſemper mihi animus fuerit in omnibus anxius, quàm dubia & intricata mens, quantæ animæ corporiſque contentiones: dum vix pedem ſine offendiculo, vix paſſum ſine indomitis monſtris ubique obviis, vix denique cubitum ſine ſcopulorum rupiumque obſtaculis progredi liceret.*

Veruntamen, cum ita mihi à natura inſitum ſit ut nil glorioſius aut præſtantius eſſe cenſeam, quam in hujuſmodi Literaturæ nodis diſſolvendis, ingenii, quantum fieri poteſt, vires experiri, & quid

humeri valeant, quid ferre recuſent

tentare,

tentare, ut ſi occultos adytorum receſſus non omnino penetrare, ſaltem aliquouſque vel per rimam introſpicere concederetur; ſi neque hoc, ſaltem honorificum eſſe rebar, vel ipſum conatum in Divinæ laudis meritum reponere. Dum itaque in hoc mentis æſtu perplexus hæreo, neſcio Divinâne an humana providentia acciderit, ut de meis Moliminibus per Prodromum Coptum *evulgatis, Literati complures certiores facti, tantum egerint, ut non duntaxat egregiis librorum ſubſidiis, ſed & Magnorum Virorum Principumque literæ ad concepti operis telam proſequendam, me non tam animarint quam compulerint. Unde ſerio tamen ac conſtanter ad inſtitutum promovendum, animum adjicere mihi viſum fuit. Quare dum indefeſſo labore ex* veterum Auctorum Monumentis, *omni penè linguarum genere ſcriptis, ſingula cum ſingulis ſollicitius comparo, nec non Combinatoriæ artis amuſſi, omnia cum omnibus & ſingulis penitius exploro, contigit tandem ut ludibundæ* Sphingis τεχνάσματα *& Machinas ſubolfaciens, in recondita, ejuſque inacceſſa hucuſque Adyta paulo altius intromiſſus, extincta jam* Sphinge *gryphiſque propoſitis diſſolutis, totius* Hieroglyphicæ *artis arcana, regulas, canones, & inſtituta, Divini Numinis adſpirante gratia (quæ uti in ſuis velle, poſſe, & perficere operatur: ita quoque ſine ea non modo nil boni agere, ſed ne cogitare quidem poſſumus) plene comprehenderem.*

Interea Oedipo *in lucem jam edito, non defuere qui ſubminiſtratis novis ſemper noviſque* Hieroglyphicæ *literaturæ monumentis, ut ea à me pari felicitate explicarentur obnixè contenderent: præter ea quæ ex* Hiſpania, Italia, Germania, Ægypto, Conſtantinopoli, *nova Hieroglyphicæ literaturæ augmenta ſubminiſtrata fuerunt. Quibus denique hoc præſentis Anni* 1673 *decurſu* Mumiacum *hoc* Monumentum *acceſſit, quod Prænobilis ac Clariſſimus Vir Dn.* de Four, Lugduno, *ad id enucleandum, pro ſumma qua potuit humanitate, ad me tranſmiſit. Verum ut huic vera & ſincera fides habeatur, hic ejus literas, quas humanitate & benevolentia confertas ad me dedit, ad veritatem adſtruendam attexendas duxi; ut occaſio ſcopuſque hujus* Diatribes *Lectoribus luculentius patefiat.*

Patri

ATHANASIO KIRCHERO

Dn^us De Four *Salutem.*

M*Umiam*, quæ ſub *Pyramide* Anno 1672 fuit reperta, pluribus ornatam figuris *hieroglyphicis* accepi. Plures adii viros eruditione illuſtres, qui in elucidandis hiſce Symbolis operam mihi ſuam commodarent. At poſtquam diu inſudarunt omnes, & fœcundum pectus concuſſerunt, ſibi aquam hærere ultro confeſſi ſunt. *Auctores* igitur fuerunt ut tuum, R. P. judicium in hiſce rebus, ut in cæteris planetis omnibus ſubactiſſimum & perſpicaciſſimum exquirerem. Muſæ omnes *Gallicæ* tibi herbam porrigunt, rogantque humillimè ut ſibi ferre ſuppetias digneris. Quamvis autem id ab urbanitate tua, & propenſo erga literas literatoſque omnes ſtudio ſperent, te tamen non auſæ fuiſſent interpellare, niſi animos addidiſſet R.P. *de la Cheſe* Ordinis veſtri Theologus eximius, & inclytæ Lugdunenſis Academiæ Moderator: Cujus patrocinio fretæ per me ſupplices te orant, ut pro inexhauſta tua eruditione velis ſibi aliquid lucis impertiri.

Charta N° 1. Characteres continet, qui ſunt in Superiori parte: ſunt & alii quinque characterum ordines, in inferiori parte, quos deſcribere nondum licuit. Juxta ſupradictos Characteres, prope Ventriculum, duæ ſunt *Vulpeculæ*, ſeſe mutuo reſpicientes, quarum collo inſidet figura huic haud abſimilis Λ; ſupra Characteres autem magnus eſt *Circulus* quaſi ex margaritis compactus, quo Stomachus obtegitur; Perſona eſt inaurata & *cærulea galea* capiti impoſita; reliquum

loculi colore depictum eſt ſubflavo : conſtat autem ex ſtipite concavo in duas partes diviſo, atque ad ipſius *Mumiæ* ſimilitudinem accedit : lignum eſt æque intemeratum ac ſi fuiſſet recens inciſum : factus videtur ut pedibus inſiſteret cadaver, quod ei appoſitiſſime adhæret. atque hæc de *Loculo.* Ad *Mumiam* vero ipſam quod ſpectat, ea ulnam longa eſt & quartam ; *Galeâ* tegitur Caput, Vultus vero perſonâ inauratâ admodum integrâ ; *Circulo* ſatis amplo tegitur Stomachus, ubi plures ſunt figuræ tanquam *margaritæ*, aliæ coloribus depictæ, aliæ auro delibutæ. Paulo inferius figura eſt *parmæ* peſſerariæ ſimilis, & utrinque *alæ* expanſæ : ſub illa figura alia eſt *hominem* referens in genua proſtratum, plumis coopertum, duabus alis quaſi in aëra aſſurgere nitentem, & præ manibus habentem quod in adjuncta charta Num. 2 deſcriptum eſt.

Sub ſupradicta figura videntur Characteres in charta Num. 3 annotati, qui ad pedes *Mumiæ* porriguntur. Qui in medio, ſunt lineâ inaurata, qui verò ad utrumque latus alba interſtinguuntur. Juxta ſupradictos Characteres ſupra femora, uſque ad imum tibiarum proceſſum, figurę ſunt, quæ una cum Characteribus Num. 4, 5, 6, 7, 8, 9 deſcribuntur, tres primæ dextrum, tres vero poſtremę ſiniſtrum latus occupant ; inferius ſupra pedes ſunt *Vulpium* figurę.

Illę omnes Figurę beneficio telę annexę ſunt ; tenuiſſima tela, lacinia & capillamentis deſtituta, adoperta eſt *Mumia* ; ſub tela eſt quaſi *Stramen balſami.* Subtus vero alia ſunt lintea unguentis delibuta, ut ex pondere conjicere eſt, cum *Mumia* & Loculus trecentas plus minus libras exęquent.

Ha-

Habes, R. P. *Mumiæ* noſtræ brevem delineationem, fac, quęſo, tuam brevi reſciamus ſententiam. Haud ignoro quot & quantis negotiis impediri ſoleant qui eam quam tu in Literatorum Orbe exiſtimationem conſecuti ſunt; at cum hic agatur de ea rerum notitia qua ſolus ita prępolles ut ſtans pede in uno iſta omnia quantumvis abſtruſa & recondita poſſis in apertam lucem protrahere: fidenter ſpero te levi non parciturum labori, ut de bonis literis perpetuo bene merearis, deque homine qui te veneratur & ſuſpicit, tuęque, Vir σεβασμιώτατε, Reverentię erit ad extremum vitę haſitum addictiſſimus.

Scribebam Lugduni 15 *Iunii anno Ch.* 1673.

DE FOUR.

Illmo

Illmo & Erud^{mo} D^{no} DE FOUR,

ATHANASIO KIRCHERO Salutem.

Literas D.V. magna animi voluptate evolvi, tum ob eam qua condiebantur humanitatis & ſingularis in me affectus ubertatem, tum ob novum ſatiandæ curioſitatis meæ Hieroglyphicum *argumentum, & abſtruſion & myſteriis quam confertiſſimum; & eſt priſcorum* Ægyptiorum *ſive Regis, ſive Sacerdotis, aut Viri alterius ſapientia Deorumque cultu conſpicui Corpus balſamo, aſphalto, myrrha, ſimilibusque pigmentis conditum, quam* Mumiam *vocant, ingenti* Hieroglyphicorum *varietate exornatum. Quoniam vero Tu Vir eruditiſſimus unà cum aliis, & potiſſimum R. P. Collegii Lugdunenſis Rector* P. de la Cheſe, *literis ad me datis, quam obnixiſſimè hujus* Ægyptiacæ Literaturæ *interpretationem à me contendiſtis, atque adeo non inutilem in hoc ſtudio* Oedipum *pro Veſtra humanitate cenſuiſtis: ego memor beneficiorum in veſtra Provincia acceptorum,* Avenione *potiſſimum, ubi ante quadraginta circiter annos tenuem meam operam in Mathematum expoſitione ad triennium fere impendi; me vel ex hoc capite quam obligatiſſimum ad votis veſtris obſecundandum ſenſi: Acceſſit hiſce, quod in* Auſtriam *jam ad Mathematum cathedram per literas deſtinatus, nihil non, me neſcio, egerit æternæ memoriæ Vir Aquenſis Curiæ Senator* Nicolaus Peireſcius, *cui nonnullum* Hieroglyphicæ *interpretationis ſpecimen dederam, ut impeditio itinere Viennenſi, me* Romam *deſtinaret. Cum itaque Pontificis imperium Cæſareo prævaleret, ad* Urbanum VIII. *haud inefficaces literas dedit, ut me ad* Romanorum Obeliſcorum *interpretationem expediendam patrocinio Eminent^{mi} juxta ac Sapient^{mi}* Franc. *S. R. E. Card^{lis}* Barberini *in Urbem acciret: quod tum Summi Pontificis, tum P. Generalis* Mutii Vitelleſci *imperio, Anno 1635 confectum fuit. Quæ ideo fuſius ſignificanda duxi, ut liqueret* Avenionem *ſingulari Divinæ providentiæ diſpoſitione, ſi in ſtudiorum meorum decurſu quid laude dignum in Hieroglyphici* Oedipi *munere præſtiterim, originem fuiſſe. Sed ut ad inſtitutum noſtrum progrediamur: Tametſi munus Interpretis, quod mihi impoſuiſtis, majori & tempore & otio indigeat, quæ veluti jure ſuo thema abſtruſis & reconditis eruditionibus confertum requirit: nihilominus, oneri mihi impoſito humeros ſenio jam enervatos, ad Vobis gratificandum ſubdendos exiſtimavi. Faxit Divina bonitas, ut opus, quod veſtri cauſa, pro mea tenuitate ingenii ſuſcipio, limatiſſimis veſtris judiciis undequaque reſpondeat!*

Etenim fateor, ſub hoc Mumiaco *depoſito tantam latere* Hieroglyphicorum *Schematum dicendarumque rerum multitudinem, ut ſi ſingula cum ſingulis combinata exponenda forent, non dicam brevem hanc* Diatriben, *ſed ne vaſtum quidem volumen iis enucleandis ſuffecturum.* Uti *vero Opus quod enodandum mihi commiſiſtis, abſtruſioris ſublimioriſque doctrinæ opulentia confertum cognovi: ita quoque non id obiter, ſuperficie tenus aut inconſiderata calami præcipitantia deſcribendum arbitratus ſum, ſed* Hieroglyphicæ Literaturæ *veluti* Summarium *quoddam ſeu* ἀνακεφαλαίωσιν *reconditæ illius Veterum* Ægyptiorum *doctrinæ, quam non* ſacri *duntaxat, ſed &* profani Scriptores *Sapientiæ nomine indigitarunt, tradere viſum fuit: quam ſi Lectores ſibi paulo altius penitiusque impreſſerint, non dubito quin hujus* Mumiæ *arcana Myſteria, una cum Symbolorum, quibus inarata eſt, enodatione, præſertim opitulante* Oedipi *vaſti Operis εἰσαγωγίᾳ, ſint penetraturi.*

Opusculum itaque qualecunque tandem id fuerit, nulli meliori jure, quam Inclytis Galliæ *Philologis, pro incredibili qua abſtruſioris doctrinæ peritia pollent, ſub* tui Nominis *auſpicio inſcribendum cenſui. Vale igitur cœptisque fave, Doctiſſime Vir.*

Romæ 14 *Aug.* 1673.

D I-

DISTRIBUTIO SPHINGIS MYSTAGOGÆ.

PARS PRIMA.

De *Scopo* & *fine* quem tanto *rituum*, ſacrorumque *Symbolorum* apparatu, in *Corporibus* qua *condiendis*, qua immortalitati conſervandis, *Veteres Myſtæ* præfixum habebant.

Cap. I. DE Metempſychoſi *ſive revolutione Animarum, quod & placitum fuit proprium veterum* Ægyptiorum. pag. 1.
II. *De* Mumiarum *conditura: Cur tantopere Incorruptioni ſtuduerint* Ægyptii. 5.
III. *De* Cryptis *locisque ſubterraneis, in quibus condi ſolebant* Mumiæ *ſive medicata corpora*. 9.

PARS SECUNDA.

Oedipus Sphingi de propoſitis *Quæſitis* per veridicam *Interpretationem reſpondet.*

Cap. I. *De* Hieroglyphicorum *natura & proprietate.* pag. 19.
II. Gallicanæ Mumiæ *interpretatio.* 21.
III. *Supremi* Numinis Archetypi *expoſitio.* 24.
IV. *Interpretatio* Simulacrorum *quæ* Mumiæ *aſſuta ſpectantur.* 29.
V. *De* Cærimoniis, *quibus &* Mumias *& Aſſeclas* Mumiarum *Statuas, ad Oracula conſtituenda adornabant:*
Paragraphus 1. *De* Oraculis, *&* Polymantia *ab* Hieromantis *ad attractionem* Numinum *inventa.* p. 36.
Paragraphus 2. *De* Herbis *&* Lapidibus *ab* Hieromantis *in* Adytis *uſurpatis.* 39.
Paragraphus 3. *De* Statuis *quas* ἀποτροπαίας *ſive* Averruncas *vocant, uti & de multiplici* Amuletorum, *queis* Ægyptii *utebantur, confectione.* 40.

Para-

Paragraphus 4. *De* Amuletis *in particulari*. pag.42.
VI. *De* Adytis Ægyptiorum *occultis*, *in quibus* ritus *ſuos & Magicas ſuas* operationes *inſtituebant*. 43.

PARS TERTIA.

De *Hieroglyphicorum* quæ in *Mumia Gallicana* deſcripta ſpectantur Explicatione.

Cap. I. *De* Columnis Hieroglyphicis *quæ* Statuis *adſcriptæ ſunt*. pag. 46.
II. *Exacta eorum* Hieroglyphicorum *quæ juxta quadruplicem* quatuor Numinum *jam expoſitorum ſeriem in* quadruplici Columnarum *ordine deſcripta continentur*, Interpretatio. 49.
III. *Interpretatio* Iconiſmi I. *in* Capſula Mumiæ, *juxta* triplicem Columnarum ſeriem, *quarum media* aureis, *reliquæ è lateribus* nigris *notis deſcriptæ cernuntur*. 51.
IV. Synopſis, *qua earum rerum quæ in hoc* Tricolumnari Obeliſci latere *conſiderari poſſunt*, *fidelis* interpretatio *continetur*. 65.
Expoſitio Syſtematis Hieroglyphici ſignati Num. 3. 68.
V. *De abominandis* ritibus & Cærimoniis Ægyptiis, *quibus* Myſtæ *veteres in* Adytis *ſuis tum ad* Genios *Mundi Tutelares* alliciendos, *tum ad Adverſos* propulſandos, *utebantur*. 70.
VI. *De* Faſcibus Sepulchralibus, *iisque quæ intra Involucra ponebantur* Idolis averruncis. 72.
Epilogus. *ibid.*


De
CÆMITERYS;
ſive
ADYTIS ÆGYPTIORUM
Veterum.
C Decker, in et fe.

Tov 1

H

L

Tav 3





SPHINGIS MYSTAGOGÆ
PARS I,
Sive
De Scopo & fine, quem tanto rituum, ſacrorumque Symbolorum apparatu, in Corporibus qua condiendis, qua immortalitati conſervandis, Veteres Myſtæ præfixum habebant.

Caput Primum.

Μετεμψύχωσις.

De Metempſychoſi *ſive revolutione Animarum, quod & placitum fuit proprium veterum* Ægyptiorum.

Mos condiendi cadavera Ægyptiorum.

MOs erat priſcorum *Ægypti* Hierogrammateôn, corpora eorum, qui vel religione cultuque Deorum, aut beneficentiâ, cæterarumque rerum in patriæ utilitatem cedentium collatione, in hac vita maxime celebres fuiſſent & conſpicui, terreſtrium quorundam veluti Deorum corpora certâ quâdam, & ſingulari ſtudio ad hoc adinventa aromatum miſturâ, ad perennem durationem, contra omnem corruptionis labem ac putredinem, condire; condita ſubtili carbaſo variis *Notis hieroglyphicis* inſignito depictoque involvere; involuta denique Idolis hic inde diſpoſitis, veluti corporum conditorum cuſtodibus, ſub ſacris *Pyramidum* ſtructuris condere. Quæ quidem nullâ aliâ probatione indigent, niſi præſentium horum Schematiſmorum, ſeu *Mumiarum* Inſpectione, quæ ab immemorabili tempore variâ unguentorum commiſtione in *Mumiam* coalitæ, involutæ cernuntur ſubtili è lino telæ, certâ quâdam è cerâ, pice, ac pulte cretacea miſturâ, cum ad telam contra omnem corruptionem muniendam, tum ad pingendas notas ac *Characteres hieroglyphicos* faciliùs, firmiusque telæ imprimendos, ſuperinductâ. In hac itaque tela, dictâ ratione præparata, primo *Imagines* eorum quos involvit, colore quodam perennante depictæ, manibus ſacræ Religionis *Symbola*, una cum fructibus Diis offerri conſuetis, geſtantes ſpectantur. In reliqua tela neſcio quæ redimicula, veluti limbi quidam & lemniſci ex minutis iiſque vitreis diverſorum colorum orbiculis aſſuti, ubique conſpiciuntur. Sunt deinde *Zonæ* materiâ quæ gemmis aſſimilatur, ubique punctatim refertæ, quibus ſuperne lineamina illa fimbriata præcinguntur. Dictorum vero limborum intercapedine ſacrorum animalium, aliorumque *Hieroglyphicorum* characteres inſcriptos videas. Hinc quidem Solis & Lunæ figuræ, inde

Mumiarum Schematiſmi. — *Mumiarum picturæ.* — *Mumiarum Hieroglyphica.*

— *ſaturæ Serpentibus* Ibis
Effigiesque ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Hinc *Anubis* Caninam cervicem arduam attollens adeſt, adſunt Leones, fœcundi *Nili* ſymbola; non deeſt Scarabæus lu-

tulentus ille Orbis opifex, ac perpetuæ *Iſidis* pediſſequæ *Meleagrides*. *Forma* denique totius *Mumiæ* trunca, & indiſtinctis pedibus Hermæas ſtatuas, vel clarius infantis faſciolis circumligati imaginem ad vivum exprimere videtur. Quæ quidem myſterioſiſſima rerum repræſentatione, occultum illum animarum per μετεμψύχωσιν, ad παλιγγενεσίαν regreſſum indigitabant, uti poſtea exponetur. Eſt autem μετεμψύχωσις, uti priſci ſenſerunt Sacerdotes, nihil aliud niſi animarum fatali quadam neceſſitate corporibus alligatarum, donec magno illo Mundi anno revoluto per παλιγγενεσίαν corporibus priſcis reſtituantur, revolutio. *Ægyptii* enim hoc dogmate imbuti, animas eorum qui ſanctitatis fama & ſapientia in hac vita eminuiſſent, vitâ functas humana in corpora abire, ſacrorum animalium, ac Deorum ibi Vicariorum munere fungi, *Ægyptum* non ſecus ac dum ſub humana forma adhuc degerent, magnis beneficiis cumulare credebant. Hanc autem animarum in brutorum corpora migrationem, tantum abeſt ut vilem & indignam cenſerent, ut potius nihil dignius & honorificentius eâ ſibi contingere poſſe crederent; cum & illa Deorum communia quoque habitacula fuiſſe, imo adhuc eos ſub dictorum Animalium larvis omnem terram circumire, hominum virtutes & vitia inſpicere, teſte *Diodoro* aſſererent. Verba Diodori ſunt: *Tradunt præterea quinque illos Deos totum orbem peragrare, nunc ſacrorum animalium formis indutos, nunc in hominum ſpeciem converſos, mortalium ſeſe oculis exhibere: Idque minime fabuloſum, ſed facultati ipſorum conveniens eſſe; ſiquidem revera hi ſunt, qui omnem generationem efficiunt.* Quod & Homerus in *Ægyptum* profectus, uti à Sacerdotibus accepit, ſic in hunc modum fieri in opere ſuo Poëtico alicubi affirmat:

Mumiarum forma.

Metempſychoſis quid.

Metempſychoſin Ægyptii credebant.

Diodorus

Homerus.

Dii ſub figuris animalium hominibus comparebant apud Ægyptios.

Hoſpitibusque Dei *ſimiles aliunde profectis,*
Introeunt urbes variâ ſub imagine formæ,
Ut videant, quæ prava viris, quæ juſta gerantur.

Quemadmodum igitur dicta Numina, ob egregias virtutes & beneficia *Ægypto* in vita collata, per Animalium ſacrorum corpora μετεμψυχωτικῶς revoluta, in cœlum aſſumpta divinos honores meruerunt, ut impiè credebant, ita poſt mortem omnes, qui virtutes Heroum in vita æmulati fuiſſent, ſimili tranſitu ad ſimiles honores perventuros eſſe aſſeverabant. Unde Mercurius Triſmegiſtus Pimandro: *Animarum humanarum*, inquit, *permultæ mutationes partim in melius feliciusque, partim autem in contrarium. Nam reptilium quædam in aquatilia transmutantur; aquatilium animæ in terreſtria migrant; terrenorum in volatilia ſcandunt; aëreorum vertuntur in homines, hominum deinde immortales animæ in Dæmones transeunt, demum in Deorum chorum feliciter volant.* hæc *Triſmegiſtus*. Quæ omnia confirmat Herodotus lib. 2. *Hi primi extiterunt qui animam dicerent immortalem, quæ de corpore mortuo ſubinde in aliud atque aliud corpus, ut quodque gigneretur, immigraret, atque ubi per omnia ſe circumtuliſſet, terreſtria, marina, volucria, merſa in aliquod corpus hominis genitum introiret; atque hunc veluti circuitum fieri intra 3000. annorum ſpacium volebant.* Ex quibus patet *Ægyptios* ſenſiſſe, Sanctorum animas in animalia ſancta, reproborum vero in reproba & abominanda, veluti in Crocodilos, Aſinos, Hippopotamos, Piſces, uti de *Typhone*, & *Ocho* narrant, pro merito uniuscujuſque deſcendere. Atque hinc prodigioſa illa *Ægyptiorum* ζωολατρεία, veluti Canum, Accipitrum, Felium (quos contra omnem gentium conſuetudinem communi ſecum menſæ adhibebant, exquiſitiſſimis cibis nutritos) originem invenit. Quæ ſuperſtitioſa dogmata paulatim ad *Hebræos* & *Græcos* ſerpentia, totum denique Mundum fanatica ſuperſtitione repleverunt. *Hebræi* quidem utpote novorum dogmatum præ cæteris appetentiores, ea in Synagogam trahentes,

Triſmegiſtus.

Herodotus.

Ægyptii credebant animas piorum, in animalia ſancta, improborum in reproba migrare.

Zoolatria Ægyptiorum.

hentes, primi Novæ iſtius de revolutione animarum ſubterranea, quam

מחלות גלגלות הנשמות

vocant, hæreſeos fuerunt conditores, de qua ſic Elias Levita in Thisbi:

Elias Levita.

ומזה מה שאומרים בעלי הקבלה גלגול הנשמות ודעתם שכל נשמה ונשמה נבראת שלשה פעמים ר״ל שהיא מתגלגלת בגופי שלשה בני אדם וכן אומרים שנשמתו של אדם הראשון נתגלגלה בגוף דוד של המלך ומדוד התגלגלה בגופו של משיח וכן אמרו שהנשמות של בעלי עבירות יתגלגלו בגופי בעלי חיים כל אחד לפי עונו:

Hinc eſt, inquit, *quod* Authores Cabaliſtici *differunt de revolutione animarum, quorum opinio eſt unamquamque animam tribus vicibus creari; quaſi dicerent, quod ea volvat ſe per corpora trium filiorum hominis: unde ſic dicitur, quod anima primi hominis volutaverit ſe in corpore* David *Regis, & inde reverſura ſit in corpus* Meſſiæ, *idque ſignificari per litteras quæ ſunt in voce* אדם Adam, *quarum unaquæque integram dictionem conſtituit*, Adam, David, Meſſias; *Differunt etiam quod animæ hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium, uniuscujuſque animam ſecundum id quod peccavit.* Atque hæc eſt opinio *Cabaliſtarum.* Porrò, alter hujus Philoſophiæ apud *Græcos* author fuit *Pythagoras*; quem à *Camphæo* Ægyptio ſacerdote inſtructum, animalia quædam veluti Gallos, Pavones, Boves, Picas, honore ſingulari culta familiari quoque dignatum colloquio, *Jamblichus in ejus Vita* narrat, quam quidem philoſophandi rationem ita altè animo imbiberat, ut animam ſuam prius in Pavone fuiſſe, & ex hoc in *Euphorbum Trojani* belli ducem, ex *Euphorbo* in *Homerum*, ex *Homero* denique in *Pythagoram* transmigraſſe, dicere non ſit verecundatus. *Julianus* vero *Apoſtata Alexandri Magni* animam in ſe revolutam aſſerere ſolebat; & *Helenam*, *Trojani* excidii cauſam, in *Tyriam* quandam mulierem *Simon Magus* aſſerebat. *Plato*, & ipſe Ægyptiorum ſacerdotum diſcipulus, auſus eſt dicere, animam è corpore migrantem in id quo abundavit evadere; unde inferre erat ſolitus, teſte *Olympiodoro*, quod arbor ſit futurus, qui nutritioni deditus diu noctuque torpebit; Milvus, qui raptu vivet per concupiſcentiam; Leo, qui egregie militabit; Draco, qui crudeliter in genus humanum debacchabitur; Homo, qui civiliter vivet; Heros, qui Naturalia ſcrutabitur; Dæmon, qui Mathematica; Angelus, qui Divina: talis enim fiet animus, qualem induit habitum. Unde Orpheus in ipſo Mercurii Terreſtris hymno,

Hebræorum figmentum de animarum transmigratione.

א Adam.
ד David.
מ Meſſias.

Pythagoras Metempſychoſin ab Ægyptiis hauſit, Jamblichus.

Juliani Apoſtatæ error circa Metempſychoſin.

Platonis error circa Metempſychoſin.

Orpheus.
Orphei & Zoroaſtri opinio circa Metempſychoſin.

κωκυτὸν ναίων ἀνυπόστροφον οἶκον
ἀνάγκης.

Cocyti habitans irremeabilem neceſſitatis
domum.

animam, ajebat, poſt vitam adepturam, ſecundum quod opera ejus in vita. Cui conſonant Zoroaſtri verba in libro cui titulus: Μαγικὰ λόγια τῶν ἀπὸ Ζοροάστρου μάγων. Σοὶ γὰρ ἀγγεῖον θῆρες χθονὸς οἰκήσουσι. *Vas, inquam, tuum habitabunt beſtiæ Terræ.* Hinc *Perſæ* in Mythriacis ſacris, ut cognationem, quæ nobis eſt cum animalibus, aliis indicarent, myſtas omnes ſacrorum participes vocabant Leones; Hyænas, fœminas; miniſtros, Corvos. Ita Porphyrius lib. 3. de Abſtinent. Τὴν μετεμψύχωσιν ἐν τοῖς τοῦ μύθρου μυστηείοις ὁμολογοῦσι· τὴν γὰρ κοινότητα ἡμῶν τὴν πρὸς τὰ ζῶα αἰνιττόμενοι, ἐκ τῶν ζώων ἡμᾶς μην-

Zoroaſter in oraculis Magicis.

Perſæ vocabant Myſtas Leones, Hyænas, Corvos.

μην-

μηνύειν εἰώθασι, ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας καλεῖν λέοντας. Quæ omnia non aliunde niſi ab *Ægyptiis* promanarunt, qui Deos Regesque ſuos ſub larvis animalium circumeuntes omnibus modis cognoſcere ſtudebant. Cujus rei exempla hic aliquot adferre, non ingratum me facturum eſſe exiſtimavi. Hujuſmodi ſcientiam *Apollonium Thyanæum* habuiſſe lib. 2. ejus Vitæ author Philoſtratus teſtatur. Nam *Amaſidem* potentiſſimum quondam *Ægyptiorum* Regem ſub Leonis forma ab eo cognitum, verbis ſequentibus tradit: *Mirabile*, inquit, *illud eſt, quod in* Ægypto *adhuc exiſtenti contigit* Apollonio. *Vir quidam Leonem manſuefactum ex loco veluti Canem quocunque volebat ducebat, qui non ſolum ei blandiebatur, ſed & cæteris omnibus qui obviam acceſſiſſent. Tali modo vir mercedem quærens multas jam luſtrarat urbes; quin etiam Templa ingrediebatur, quod mundus à cædibus eſſet & impollutus; neque enim hoſtiarum ſanguinem lambebat, & excoriatas atque in fruſta ſectas ſacrorum carnes non attingebat, ſed mellitis placentulis, ac pane etiam, & bellariis veſcebatur. Coctas quoque carnes edebat, & vinum quoque bibere viſus eſt, cum antiquam ſervaret conſuetudinem. Is itaque Leo ad* Apollonium *veniens, qui tum forte in templo ſedebat, & ad ejus genua procumbens, blando ſtrepitu deliniebat, & aliis quoque ſupplicare videbatur: quod videntes qui aſtabant, eum mercedis cauſa id facere arbitrabantur. Reſpiciens autem ipſum* Apollonius; *Hic, inquit, Leo me rogat ut vos doceam, cujus eum hominis animam habeat: eſt autem* Amaſis *Rex Ægypti circa Saiticam Præfecturam. Quibus verbis auditis, Leo miſerabiliter frendens lamentabilem rugitum edidit, tum dentibus infrendens lugere cum procul dubio videretur, lacrymarum vim fundebat. Demulcens igitur ipſum* Apollonius, *Ego, inquit, Leonem cenſeo* Leontopolim *mittendum eſſe, ibique in Templo collocandum; Regem enim in maxime regiam belluam & Diis ſacram converſum tanquam egenum mendicare indignum judico. Poſt hæc congregati Sacerdotes Ægypti,* Amaſidi *ſacrificabant, & belluam torquibus vittiſque redimitam in interiorem Ægyptum miſere, tibiis ante ipſum hymnos & carmina decantantes.* Hæc Philoſtratus.

Ægyptii Deos Regesque ſub larvis animalium cognoſcere ſatagebant

Philoſtratus.

Fabula de Rege Ægyptiſub Leonis imagine circumeunte.

Aliam Centii Arabs, in lib. qui inſcribitur de Servitute Terræ, في عبيد مصر De cultu Idolorum *Ægyptiorum*, non minus priori jucundam, narrat de quodam *Perſa* & *Ægyptio* iter facientibus, hiſtoriam. Perſa *enim dum Scarabæum* Ægyptiis *ſacrum, lutoſo opificio per ſemitam occupatum forte calcaſſet*, Ægyptius *calamitoſum caſum intuitus, manibus in cælum extenſis, omnia Numina, ab hoc ſe ſcelere immunem eſſe, proteſtabatur.* Perſa *verò, quid ſibi proteſtatio illa vellet, rogante; Neque tu, inquit* Ægyptius, *vindictam Deorum, ob ſacram & vivam* Oſiridis *Imaginem, in quo habitans, volvendo ſtercoream pilam, nos motus Cœlorum, & omnem Agriculturæ rationem docet, temere & indigne tractatam formidas? Inſtructus itaque* Perſa, *impoſterum cautius inceſſit, nè forte Deaſtrum hunc Stercoreum lædens, indignationem Numinum incurreret.*

Centii Arabs.

Hiſtoria de Perſa Scarabæum calcante.

Egit ſtolidum hoc Metempſychoſeos dogma tam altas in animis male feriatorum hominum radices, ut per totum penè *Orientem* eas diffuderit. Nam *Pythagoras* ab *Ægyptiis*, à *Pythagora Plato*, ab his *Saraceni*; à *Saracenis Brachmanes, Perſæ*, & ultimi *Sinarum* & *Japonum* populi decepti, huic ſtolido placito adhæſerunt. *Avicenna cap. 2. lib. de Almichad, ſive de Conditione animæ poſt vitam hanc*, ſcribit de *Mahumete*, dictum eſſe, animalia progredientia ſuper Terram, & aves ſuis alis volantes, nil aliud eſſe, quam turbam copioſam hominibus ſimilem, & in ipſius animæ naturæ cum iis communicationem. Atque quod in illius *Saracenorum* Principis *Mahumedis Alcorano* poſitum eſt, Non prius animarum humanarum in nova corpora tranſitum, finem eſſe habiturum, quam Camelus per foramen acus penetrare poſſit; hoc idem, ait, nonnullos ita interpretari, ut ſignificare voluerit, animam hominis vitioſi, non prius gratiſſima

Metempſychoſis dogma latiſſime diffuſum fuit.

Avicenna.

Mahumedis *opinio de Metempſychoſi.*

ma quiete frui poſſe, quam per varia corpora jactata, à Camelo tranſierit in eum vermem, qui corporis ſui tenuitate & parvitate per foramen acus poſſit penetrare. Non dicam hic de *Judæorum*, *Brachmanum*, *Sinarum* Metempſychoſeos ridiculis commentis. Qui de hac materia plura deſiderat, is adeat *Theologiam hieroglyphicam*, ubi hanc materiam ex profeſſo traditam reperiet. Præterea quidquid de *Elyſiis campis*, de *Styge*, ejusque fluminibus, de *Mercurio* animarum Translatore *Poetæ* finxerunt, id ab *Ægyptiis* originem traxiſſe Diodorus hiſce verbis demonſtrat: *His ab* Orpheo *ad* Græcos *deductis.* Homerus Orpheum *imitatus, idem in ſuo poemate ſcribens,* ait, Mercurium Cyllenium *animas Heroum evocare, habentem virgam in manibus: Rurſusque erant prope* Oceani *fluxum, &* Leucados *petram, Solisque portas, ſomnia populorum. Sequebatur virens pratum, ubi juniorum erant animæ, ſimulacra mortuorum.* Oceanum *igitur* Nilum *vocat, quoniam ab* Ægyptiis *proprio nomine* Nilus Oceanus *appellatur. Solis portas* Heliopolim *dicit; Pratum vero, habitationem putat eorum conſpectam qui trans paludem delati ſunt, quæ* Acheruſia *nominatur: Et prope* Memphim, *circumque prata amœna, paludesque calamis plenæ.* Proſequitur deinceps, *Mortuos hæc incolere loca; quoniam* Ægyptiorum *ſepulchra majori ſane ex parte in eis locis ſunt poſita: Corpora vero per fluvium &* Acheruſiam *paludem ad ſepulchrum delata, ibique condita: Aliaque plura, quæ nunc etiam ſervant* Ægyptii, *& dant fabulis, quas* Græci *de Inferis finxerunt, locum. Nam navis quæ vectat corpora,* Bariis *appellata, hæc apud Græcos eſt* Ϭπιϐάθϱα. *Obulum ait dari portitori, cui nomen inditum eſt ab incolis* Charon. *Aſſerunt circa hæc loca* Hecates *Umbroſæ templum eſſe,* Cocyti *portas, atque Oblivionis, æreis vectibus diſtinctas. Eſſe & alias portas Veritatis, quas prope ſtatua ſit* Juſtitiæ *abſque capite.* Multa quoque alia fabuloſa de *Ægyptiis* feruntur, quæ adhuc nonnunc & opere perſeverant.

Diodorus.

Homerus.

CAPUT II.

De *Mumiarum* Conditura:

Cur tantopere Incorruptioni ſtuduerint *Ægyptii.*

Mumia vox Perſica, ſignificat corpus exſiccatum & conditum.

M*Umia ſive* مومي Vox Perſica, & idem notat, quod *exſiccatum Cadaver* certa ratione conditum, corruptionis expers. Cujus Virtutes tametſi complures *Medicorum* copioſe deſcripſerint, nulli tamen fuerunt, qui eorundem condiendorum rationem & methodum non dicam tradiderint, ſed ne attigerint quidem. Plerique cadavera, quas *Mumias* vocant, nullâ certa conditura præparari, ſed ſolo naturæ puro puto artificio ad hunc incorruptionis ſtatum pervenire putant, eo, qui ſequitur, modo. Eſt in Trans-Nilana *Africæ* regione deſertum ingens ſabuli, arenarumque cumulis in immenſum exporrectum, unde & *Sabuloſi maris* non immerito nomen obtinuit; hæ ſiquidem arenæ ventis concitatæ tam ſævas ſubinde tempeſtates movent, ut arenis in clivos aggeſtis, turbinum violentiâ, & jumenta & viatores una cum mercibus ſuis, nullâ evadendi ſpe relictâ, vivos ſepeliant. Expertus eſt, *Herodoto* teſte, hujus *Sabuloſi maris* ſævitiem *Cambyſes*, toto fere exercitu, in expeditione ad *Ammonios* factâ, æſtuantis arenæ impetu abſorpto. Refert *Pomponius Mela* de Rupe quadam in hoc deſerto exiſtente, *Auſtro* conſecrata, quæ ſimul atque vel manu tacta fuerit, *Auſtro* mox provocato ſæviſſimas procellas moveat, Sabulo

Africæ ſolitudo dicta Mare ſabuloſum.

Herodotus.

Mela.

Rupes Auſtro conſecrata in Africæ Solitudine ſabuloſa.

bulo in tantum intumeſcente, ut pelagus undarum vorticibus, fluctuumque æſtibus, concitatum videri queat. Hanc Rupem dum olim *Sylli* inconſultius adeunt, ſive occultioris naturæ impetu, ſive magicis incantationum præſtigiis, vento mox exoriente & ſabuloſos cogente Montes, ad unum omnes extin-

Sphynges in deſerto & arenis Africæ.

cti feruntur. Eſt & in hoc deſerto *Ammonium oraculum*, & *Serapium*, *Sphyngesque* ingentes, quarum aliæ uſque ad caput, aliæ ex dimidio arenâ obrutæ,

Strabo.

Strabone teſte, ſpectantur. Hoc itaque celeberrimum Oraculum conſulturus olim *Alexander Magnus*, dum pleno aleæ itineri ſe accingit, ad illud quidem incolumis pervenit, ſed quos milites ex ſuo exercitu non Sabuloſi pelagi turbines obruerant, hos æſtus ſitiſque confeciſſe traditur. Sed ut unde ſum digreſſus, revertar, in hoc Sabuloſo deſerto dicunt nonnulli *Mumias* ſolius naturæ induſtria confici; dum ajunt, Viatorum deſerti tempeſtatibus extinctorum corpora, tum Solis, tum ferventiſſimæ hujus arenæ pinguioris virtute, longo tempore ſiccata toſtaque, in hunc ſtatum ἀφθαρσίας

Mumiæ non ſunt cadavera Solis ardore ſiccata in Lybiæ deſerto.

degenerare. Sed tametſi ſubinde, in hoc *Lybiæ* deſerto hujuſmodi à Sole exſiccata corpora reperiantur, illa tamen minime *Mumiæ* dicendæ ſunt; cum *Mumia* proprie cadaver ſit ſingulari arte conditum. Quæ qualis ſit jam aperiamus.

Haly Medicus *Arabs* in ſuo *de Medica humani Corporis virtute libro*, *Mumiarum* haud infrequenter meminit, easque incorruptionis munus, ſolius Aſphalti, Opobalſami, Myrrhæ, ſimiliumque ſpecierum beneficio adeptas eſſe aſſerit: quod tamen non de omnibus, ſed ditiorum corporibus dicendum eſt. Certe ſollertiſſimus Philoſophus & Medicus

Nardius.

Joannes Nardius, hoc præ cæteris, in *Mumiis*, tum quas proprias domi ſuæ, tum

Mumiæ Aſphalto ſolo ſeu gummi conditæ.

quas Magnus Dux *Hetruriæ* in Ergaſterio ſuo opulentiſſimo tenet, experimentum ſumpſit. Corpora ſiquidem faſciis ſuis evoluta ſummo ſtudio diſſecuit, at præter Aſphaltum nullo alio aromatici generis apparatu condita reperit. Verba



Authoris hic apponenda duxi. Sic autem fol. 635. Commentariorum in Lucretium ait: *Speravi olim miram fragrantiam à medicato funere, tot tantiſque infarcto aromatibus: verum ſpes me fefellit, ſolaque fuit obvia gummi graveolentia poſt denudatum cadaver. Quanquam vero non totius illud erat ſortis, & vetuſtati licet plurimum darem, attamen non niſi gummi veſtigia, quin coactas homogenei gummi glebulas, in ventre recens diſſecto, obſervavi. Sciſcitor interim curioſius Calvariam, eodemque gummi intus illitam deprehendo: tum vero me operam luſiſſe omnem, libere ſum faſſus, dum partes cadaveris ſingulas attentius*

tius examino, altèque gummi imbibitas video. Fregi, diſcerpſi, oſsibus neque peperci, gummi ubique redolent atque ſapiunt. Serus ego damnavi tandem propriam crudelitatem, longumque valedixi Ægyptiis *technis.* Quonam igitur modo ſolo aſphalto aut bitumine corpora incorruptionis donum conſecuta ſint, dubium eſt. Multi putant, ſalis adjuncti copiâ conſervata; at hoc ſubſiſtere non poteſt; Cum ſalita corpora facile diffluant, uti ex hiſtoria patet, quam & *Baronius* ob eventum memoriâ dignum, *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* inſeruit: Dum in montibus *Salisburgi* foſſili ſale prægnantibus foſſores in ſubterraneis antris, in foſſam ſalsâ aquâ refertam, & ſatis profundam inciderent, aquamque in uſum coquendi ſalis derivarent; contigit ut inter evacuandum, humanum in ea corpus detegerent, prorſus integrum, incorruptumque. Cutis colore prorſus niveo candebat, oculi aperti vitam ipſam ſpirabant, capilli pilique ſuis locis ab omni corruptione immunes; cæterum totum corpus rigidum ad inſtar ſaxi. Stupefactis ad tam inuſitatum Naturæ prodigium foſſoribus, res ad *Bavariæ* Ducem delata fuit, qui & ipſe rei novitate attonitus, portentique videndi deſiderio percitus, illud propediem ad ſe deferri præcepit. Quod ubi factum, & jam triduo hoc Salis figmentum, omnium oculis expoſitum fuiſſet; ecce id tandem aëris veluti impatiens intra paucos dies, in aquam reſolutum, ſuoque elemento reſtitutum prorſus defluxit. Ex qua hiſtoria ſatis liquet, corpora ſalita tametſi certo tempore corruptioni reſiſtant, longo tamen tempore defluere. Cum itaque teſte *Nardio*, ſupra laudato, totum corpus Aſphaltum ſeu bitumen oleat, id eo conditum, luculentum indicium eſt.

Salis copia conditis corporibus adjuncta, non reddit illa incorruptibilia.

Baronius.

Hiſtoria de Cadavere in Salinis reperto.

Aſphalto ſeu bitumine qua ratione condita fuerint cadavera.

Quomodo vero & qua arte & induſtria hoc peractum ſit, & quomodo per intimam ſubſtantiam corporis bitumen imbibitum, in duram & conſiſtentem eſſentiam degeneret, id quidem difficile cognitu, at non inſcrutabile eſt. *Nardius* rem acu tetigiſſe videtur: verba ejus ſunt, *Quandoquidem Aſphaltus liquabile miſtum eſt, caloreque præſente molleſcit, præſertim ſi congener accedat ſubſtantia auxiliares in partes, quale eſt fluidum bitumen, quod* naphtham *appellant: Ut igitur congruo in lebete jungebantur hæc ſimul, igne cogente, bituminoſo immergebant balneo cadaver, macerabantque tamdiu, donec alte imbibiſſe conjicerent contubernalem liquorem. Neque controvertere fas eſt, dum hæc agerentur, An pepercerit tunc ignis, Cadaveris adipi atque carnibus: par namque eſt credere, his liqueſcentibus inſigne acceſſiſſe auctarium areſcenti bitumini. Non eſt noſtrum in præſens litem dirimere de viribus* Mumiæ, *cuive debeantur celebratæ dotes, Aſphaltone, an Cadaveri? & ſi non dubitem, valere indicatam miſcellam turbas omnes pleniſsime ſedare, finemque controverſiis imponere. Exemptum tandem inde cadaver deponere cogebat ſuperfluum humorem calidi ambientis opera, dum interim illius membra ad libitum componerent. Quæ vero me inducunt, ut prænarrato adhæream artificio ſunt, æqualis illa bituminis diſtributio in ſingula membra, compacti adhuc bitumine crines, cilia, ſuperciliaque, & fruſtula ejuſdem bituminis comæ nonnunquam hærentia.* Atque hanc ego arbitror fuiſſe condiendorum atque à corruptione conſervandorum corporum methodum: quam & apud *Arabes* me legiſſe memini: & conſentiunt quæ & ego ſæpenumero in *Mumiis Petri à Valle* obſervavi. Jam Cryptas, in quibus condi ſolebant paulo ante dicta præparata corpora, examinemus.

Nardius.

Verùm ne *Herodotum* & *Diodorum* prætereamus: qui modum uſitatum fusè exactiſſimeque, deſcribunt, *Herodotus* quidem in *Euterpe*, & *Diodorus Siculus* *l.* 1. *c.* 6. cujus & mentionem amplam fecimus *Tomo primo de Politica Ægyptiorum.* Eundem ritum *Joannes Nardius* Medicus in *Commentariis*, *in Lucretium* circa finem fusè deſcribit. Herodoti *verba nos hoc loco* παραφραστικῶς *adducemus. Luctus eorundem* Ægyptiorum *ac Sepulturæ tales ſunt. Quibuſcunque domeſticis aliquis deceſſit, homo alicujus momenti,*

Herodotus.

Diodorus.

Nardius.

Ægyptiorum modus condiendi & ſepeliendi corpora.

ibi

ubi omnis muliebris ſexus familiæ caput ſibi & vultum oblinit luto. Deinde relicto domi cadavere, ipſæ per urbem vagantes ſe plangunt, ſuccinctæ nudatis mammillis: & cum eis proximæ quæque. Altera ex parte, viri & ipſi expectorati ſe verberant. Interim neque lavantur, neque vinum aut cibum, niſi vilem ſumunt, neque veſtibus utuntur ſplendidis. His ita actis ad condiendum demum portant; ſunt autem certi ad hoc ipſum, qui hoc artificium factitant. Qui, cum ad ipſos cadaver portatum eſt, oſtendunt his qui portaverint exemplaria mortuorum in ligno aſſimilata. Et eorum unum accuratiſſime fabrefactum eſſe ajunt, cujus ego nomen, ſi nuncupavero, haud faciam ſanctè: alterum illo inferius, ac vilioris pretii: tertium viliſſimi. Sepulchrorum tres habentur ſpecies, Sumptuoſa, Mediocris, Humilis: In prima argenti talentum exponunt, in ſecunda minas viginti, in ultima parum quid ſumptus erogant. Qui funera mortuorum curant, eo exercitio à majoribus tradito, funeris impenſam domeſticis deſcriptam ferunt, ſcrutantes Quanti velint celebrari funus. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt; ut quamque partem educentes, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt; mortuum vero exenteratum Soli monſtrant, hinc Inteſtina in amnem abjiciunt, non abſque conteſtatione:

Sepulchrorum Ægyptiorum ſpecies tres, Sumptuoſa, Mediocris, Humilis.

Sumptuoſa ſepulchrorum ſpecies.

Sol, rerum Domine, voſque Cœlites, qui mortalibus lucis uſuram largimini, me accipite, & cœleſtibus contubernalem addite. Equidem piè ac religioſe Numina à majoribus mihi commonſtrata, ſemper, dum vixi, colui; Genituræ meæ Auctores ſemper honoravi; hominem occidi neminem, neque depoſito fraudavi, nec aliud quicquam infandum patravi. Quod ſi quid à me patratum eſt, edendo, bibendove, quod non oportuerit, id omne non mea, ſed hujus cauſa commiſſum eſt, *ſimulque cum dicto arcam, in qua ventriculus erat conditus; in profluentem projiciens, corpus reliquum ut purum & labis immune condire aggreditur. Alvum ubi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rurſus odoribus contuſis refercIunt; tum omenta complentes contuſâ myrrhâ purâ, & caſſiâ, & cæteris, excepto thure, odoribus, iterum conſuunt. Ubi hæc fecêre, ſaliunt intrò abditum ſeptuaginta dies: nam diutius ſalire non licet. Exactis ſeptuaginta diebus, cadaver, ubi abluerunt, ſindone inciſis loris, involvunt, gummi illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inferunt mortuum, incluſumque ita theſaurizant, id eſt, reponunt. Hi autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumptum, ita comparant: Clyſterem unguine, quod è cedro gignitur, complent: deinde ex hoc alvum mortuorum, ipſam neque ſcindentes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu, infercIunt, & tot, quot dixi diebus ſale condiunt: quorum dierum ultimo cedrinum Unguen, quod prius ingeſſerant, ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut una ſecum alvum, atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquuntur. Ubi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura eſt adornandi eorum mortuum, qui tenuiori ſunt fortuna. Dilutionibus ventrem abſtergunt, arefaciuntque ſale per ſeptuaginta dies: deinde tradunt reportandum. Antequam ſepeliatur corpus, prædicitur à cognatis, tum Judicibus, tum defuncti amicis Sepulturæ dies. Aſſerunt vero illum, nomine mortuum appellantes, paludem tranſiturum. Adſtantibus Judicibus amplius quadraginta numero, ſedentibusve in præparato ultra ſtagnum hemicyclo, trahitur navis ad id compoſita ab iis, quibus ea cura injuncta eſt, regente magiſtro, quem ſua lingua Ægyptii Charontem vocant. Unde & Orpheum (qua de re* paulo poſt *dicetur) aſſerunt, cum hunc morem apud Ægyptios conſpexiſſet, finxiſſe poſtmodum Inferos, partim quæ viderat imitatum, partim quæ ipſe commentus eſſet. Perductâ in ſtagnum navi, antequam condatur in arca cadaver, permittitur lege, mortuum accuſare, ſi quis comprobatur*

Mediocris ſepulchrorum ſpecies.

Infima ſepulchrorum ſpecies.

Sepeliendi ritus Ægyptiorum.

batur male vixiſſe, Judices *ſententiam ferunt, qua cenſent corpus ejus ſepulchro privandum. Qui deprehenditur injuſte crimen objeciſſe, magnâ mulctatur pœnâ. Cum deeſt accuſator, aut per calumniam accuſatum conſtat, Cognati finito luctu, ad Laudes mortui vertuntur, nil de genere ejus, ſicut* Græci *conſueverunt, narrantes (exiſtimant enim omnes* Ægyptii *pariter ſe nobiles eſſe), ſed ordientes à pueritia, in qua vitæ inſtitutionem eruditionemque recenſent, ad Viri ætatem deſcendunt, ejus erga* Deum *Religionem*, *Juſtitiam*, *Continentiam Virtutesque cæteras commemorantes. Invocatis vero Inferis Diis, precantur, ut eum inter pios locent. Ad quæ verba omnis multitudo correſpondet, gloriam mortui extollens, tanquam apud Inferos cum beatis ſemper futuri. Sepeliunt poſtea quique ſuos, hi in propriis ſepulchris, alii quibus ea deſunt, domi apud firmiorem parietem arca corporis erecta; Qui verò ob crimen aut fœnus Sepultura prohibentur, domi abſque arca ponuntur; Quos poſteri ditiores facti, ac debita crimina luentes honorifice ſepeliunt: Gloriantur enim* Ægyptii *ſuos parentes majoresve magnifice eſſe ſepultos.*

CAPUT III.

De Cryptis *locisque ſubterraneis, in quibus condi ſolebant* Mumiæ *ſive medicata corpora.*

§. 1.

NOn ſatis erat *Ægyptiis*, cadavera dicto aromatum apparatu adornare, ſed ne impoſterum aëris, aquæ, caloris, temporumque injuriis aut animalium inſidiis corroderentur, ſumma ſane cautelâ, non in locis inundationi *Nili* expoſitis, non in patentibus campis latrocinio perviis, ſed vel in æternum duraturis *Pyramidibus*, vel in *Cryptis ſubterraneis* ſummo labore in rupe viva excîſis, vario prius involucrorum faſciarumque amictu, ſumma ac incredibili induſtriâ velata infarctaque reponebant. Sed Locum condendis corporibus deſtinatum, prius, deinde ſingula Ornamenta exploremus.

Cryptæ in quibus Mumiæ reponebantur. Locus Cœmeterii, erant *Cryptæ ſubterraneæ*, ex vivo, ut dixi, alabaſtro excîſæ, variis concamerationibus, veluti ingentibus aulis diſcriminatæ, tum multiplicibus ambagum, viarumque gyris intricatæ, ut labyrinthus videri poſſet. Cujus Ichnographiam non ita pridem ad me tranſmiſit ſæpe laudatus *Titus Livius Burattinus*; qui pro laudabili ſua curioſitate, non ſine ſumptibus, dum *Ægypti* antiquitates inquirebat, & has quoque *Cryptas* penetravit, omnia ſingulari ſtudio delineavit, delineata ad me, pro ſuo ſingulari Reipublicæ literariæ promovendæ zelo tranſmiſit. Verum antequam figuram exponamus, ejus *primùm* hoc loco Epiſtolam Italico ſermone conſcriptam, *deinde* Ichnographiam Subterraneæ fabricæ, hic apponendam duxi, ex qua Lectori curioſo cuncta luculentius patebunt.

Epiſtola *Titi Livii Burattini* ad Authorem hujus operis, in qua quicquid circa *ſubterraneas Cryptas* notatu dignum obſervavit exacte deſcribitur, una cum Ichnographia earundem.

Circa le Mumie *ſono diverſe opinioni, frà le quali la più commune è, che ſi ritrovino frà l'arene nell'* Arabia deſerta, *e che ſijno di quelli corpi, che ſono ſepolti in quelle quando ſpira il vento Auſtrale. Quanto queſti s'ingannano, non occorre manifeſtarlo, eſſendo notiſſimo l'errore loro à quelli, che ſono ſtati nell'* Egitto; *eſſendo che le* Mumie *non ſono altro, che li corpi imbalſamati dalli antichi* Egittii, *delli quali ancora* *Epiſtola Titi Livii Burattini circa Cryptas Mumiarum.*

cora hoggidi ſe ne ritrova nelle cave tanta gran quantità, ſpecialmente ſotto, ove già era la famoſa Città di Memfi, *la quale era poſta frà le* Pyramidi di Giza, *e quelle delle* Mumie, *delle quali ne darò quel più minuto e vero raguaglio, che per me ſi potrà. Ogn'uno, che di leggere, antiche hiſtorie diletto ſi prende, haverà veduto, che doppo havere li antichi Rè dell'* Egitto, *chiamati in loro lingua* Faraoni, *habitato per longo tempo nella famoſiſſima* Thebe, *fabricorono poi la Città di* Memfi *dalla parte di Ponente del* Nilo, *eſſendo ſtata quella dalla parte di Levante, ove poi habitarono fino al tempo d'*Aleſſandro Magno, *dal quale fù poi fabricata la Città appreſſo il mare Mediterraneo, che dal ſuo nome fù detta* Aleſſandria, *nella quale habitavano* Tolomeo Lago *ſuo Capitano con li ſuoi ſucceſſori.* Memfi *adunque fù l'ultima Metropoli delli antichi* Egittii, *e per conſequenza appreſſo quella ſi vede maggior veſtigio dell' antichità di quello ſi vede in niun altro luocho, perche li* Greci *uſavano altre cerimonie nell' eſſequie delli loro morti, che non li* Egittii. *Sotto, & attorno dove era quella Città, ſi vedono grandiſſima quantità di cave, ove ſepelivano li loro morti, tanto dell' ordine de' Sacerdoti, quanto quello de Cavalieri; nelle quali entravano per un pozzo quadrato, mà tanto largo ſolamente, quanto un huomo può allargare un piede dall' altro, mettendo li piedi nelli buchi fatti dalle parti per queſt' effetto, e che dal diſegno ſi vede. La profondità frà di loro è diverſa, ſecondo che più e meno cavano, non havendo però veduto di minor profondità, che di ſei huomini; auvertendo che tutte queſte cave ſono fatte nella pietra, laquale è aſſai tenera, e di color bianco, e in queſti deſerti cavandoſi ſotto l'arena non più che per un braccio, immediatamente ſi ritrova la pietra, nella quale, come di ſopra hò detto, cavano li loro ſepolcri, per li quali tutta la Città di* Memfi *reſtava vuota con molto ſpatio ancor all' intorno di quella. Smontati nella cava ſi ritrova un buco quadrato della capacità della cava, nella qual s'entra, ma chinato per la ſua baſſezza; la longhezza ſua e varia, eſſendo in alcuni luoghi longo diece piedi, in altri quindici, & in altri più e meno. Alla fine di queſta s'entra in una ſtanza quadrata fatta à volta, ogni lato della quale è intorno 15, e 20 piedi, e nella metà d'ogn'uno di queſti quattro lati vi è della medeſima pietra fatto un focolare longo incirca piedi cinque, largo doi e mezze, e alto uno, e ſono uno dirimpetto all' altro: ſopra li quali ponevano li loro morti, poſti alcuni in caſſe di pietra della ſorte del medeſimo monte, & alcuni di caſſe di legno di fico moro, il quale hà per natura di mai tarlarſi. Queſte caſſe tanto di pietra, quanto di legno, ſono fatte à guiſa della figura humana con le braccia diſteſe come non ſepeliamo li noſtri morti, tutti adornate di gieroglifici, & indorate; come ancora ſono adornati di dentro li corpi imbalſamati, molti delli quali hanno ſotto la lingua una piccola lametta d'oro, di valore al più di doi ò trè* Ongari; *per ingordigia della quale li* Arabi *guaſtano tutti quelli corpi, che poſſono ritrovare intatti, in molti delli quali non ritrovano nulla; e poi il rimamente del corpo vendono per viliſſimo à Mercanti Maumettani, delli quali corpi nella Città di* Cairo *ne ſono in grandiſſima quantità, che da Mercanti Chriſtiani ſono comprati per condurre in* Italia. *Tutte le caſſe di queſti cadaveri hanno dal capo un Idolo, e da piedi un uccello, che pure adoravano; nel muro poi ſopra la caſſa, in alcune di queſte cave ſono delli gieroglifici, li quali credo foſſero Epitafii ſcritti in lode delli defonti. In molte di queſte ſtanze vi ſono ancora oltre le quattro caſſe principali poſte ſopra le pietre, altre ancora poſte in terra, attorno quelle, e ſpecialmente* Bambini; *e ſi deve auvertire, che di queſte ſtanze, che corriſpondono à un pozzo, ſaranno 25, e 30, più e meno, una appreſſo l'altra, poſte nel modo che dal diſegno ſi vede; e perche non v'è altra luce, ne altra entrata, che il pozzo dalla prima ſtanza, overo cava in fuori, non v'è luce veruna, per queſto biſogna portar ſeco delle candele, e buona guida, altrimente ſi và à pericolo.*

Quæ *Burattinus* hactenus narravit in *Epiſtola* ſua, in hoc præſenti Schematiſmo exhibentur. Ichnographia monſtrat

Memphis multa antiquitatis veſtigia retinet.

Cavernæ circa & infra Memphim.

Cavernarum Memphiticarum varietas & profunditas.

Cavearum Memphiticarum forma.

Capſæ Mumiarum *e ſaxo aut ligno.*

Aurea lamina ſub lingua Mumiarum.


Capſarum ornatus & hieroglyphica.

Ichnographia & Scenographia Camerarum in quibus Mumiæ *condebantur.*

ſtrat ſtructuram *Cryptarum*, una cum Abacis quibus corpora capſulæ incluſa imponebantur. Hoc in loco Ichnographia novem Cameras exhibet vacuis ſpatiis ſignatas, cujuſmodi una eſt D, omnesque ſunt æquales. Singulæ habent in quatuor lateribus Abacos marmoreos, ejus magnitudinis, quæ receptaculo, quo *Mumia* condebatur, recipiendo capax eſſet: hi Abaci, uti & quatuor parietes ſingularum cavernarum, in Ichnographia ſignantur numeris 1, 2, 3, 4. quæ vero literâ X notantur, murorum veſtigia, ſupra quæ parietes aſſurgunt, ſignificant. Hæc vero exactius ſpectantur in Scenographia, in qua S & T duæ Cameræ ſunt fornicibus ſuis inſtructæ. Intra quatuor muros Cameræ S, vides quatuor Abacos, A, O, P, K, quorum ſinguli ſua medicata funera, id eſt, *Mumias*, eo quo ſcripſimus apparatu exornatas, continent. His ut plurimum Idola ſpectantur appoſita, & ſunt faſciati quidam pueri, tutelarium Deorum ſtatuæ, ad caput; ad pedes Accipitrem reperies, de quibus fuſius in *ſequentibus*: horum enim aſſiſtentiâ corpus ab omni violentia immune futurum credebant. Secunda Camera T, totidem Abacos continet, qui ſignantur literis L, M, N, B, in quibus medicata corpora poſita una cum tutelaribus Diis iis appoſitis vides. Q & R literæ duarum aliarum veſtigia Camerarum monſtrant & locum Abacorum G & H. G monſtrat acceſſum ſeu aditum in alias & alias cameras: quarum tantam eſſe multitudinem olim mihi retulit *Michael Schatta Ægyptius Coptita*, earum ſedulus inſpector, ut ad multa milliaria ſeſe extendant, & numero & magnificentia Romanis Cœmeteriis multo ſuperiores, imo addidit, novas & novas quotidie detegi. Hinc nonnulli in ea opinione ſunt, ſubterraneos hujuſmodi mæandros ad ipſum *Ammonio Oraculo* & *Serapeo* celeberrimum locum, magno ſacerdotum eò ultro citroque commeantium, & ab omni Solaris æſtus, arenarumque turbinibus immunium commodo, fuiſſe exporrectos. Quod haud vero abſimile ei videbitur, qui multa alia *Ægyptiorum* opera penitiùs fuerit contemplatus. Imo recitant nonnulli *Arabes*, *alibi citati*, *Heliopolim Memphi* unitam fuiſſe per occultum meatum, vel infra *Nili* alvum ſtupendo opere ſtructum.

Cavernarum in quibus condebantur Mumiæ, numerus ingens.

Sed ad *Cryptas* revertamur. Habent ſingula latera in ovali figura *hieroglyphicos Schematiſmos* inciſos, qui in Scenographia literis E, Y, Z, F ſignantur, & nihil aliud ſunt quam Schemata, quas nos in *Obeliſcorum Interpretatione* Sacras tabulas appellavimus; quarum prior E, & poſterior F, prorſus eædem ſunt cum illis quæ in *Obeliſcis* frequentiſſimè occurrunt. Hanc vocamus *Oſiriacam*, illam *Mompto-Mendeſiam*, & hic appoſitis, & ex dictis *Obeliſcis* depromptis Schematiſmis reſpondet. Reliquæ



vero duæ Y & Z, quarum prior baculum Upucino capite cum cycloide & hydroſchemate refert, altera Scarabæo cum globo inſignitur, pariter ex *Obeliſcis* excerptæ ſunt, & ter in *Obeliſco Heliopolitano* reperiuntur; quarum interpretationes cum *in citatis locis* adductæ ſint,

 eas

eas lector conſulat. Cur autem hæc *Hieroglyphica* Numina obliquo ſitu, non recto, muro inciſa ſint, eo Numinum Tutelarium inclinationem Sympathicam, quam ad corporum conſervationem habebant, occulto veluti ſymbolo notabant. Erant enim hæc *ſacra* quædam *Amuleta*, magnæ apud ipſos efficaciæ & virtutis, uti ſuis locis probatum eſt: ut proinde mirum non ſit, ea veluti *Prophylactica* quædam funeribus fuiſſe appoſita, ad conſervationem corporum unicè conducentia.

Quæ omnia confirmant, quæ Excellentiſſimus *Nardius in* ſuo *Lucretio* de memoratis ſubterraneis *Ægyptiorum* Cœmeteriis adducit. Quorum quidem ſitum & diſpoſitionem *ſequenti Figura* luculenter ſane expreſſum contemplare. A *Memphis* moderna, quæ *Cayrus*; B, rudera antiquæ *Memphis* ſeu *Babylonis*; C, *Nilus* ab Auſtro ad Aquilonem præterfluens; D, lapis cælatus, operculum putei; E, oſtium per quod deſcenditur in camerata cubicula; F, arca lapidea *Hieroglyphicis* ſignata, cuſtos alterius ligneæ G, quæ viſenda exponitur una cum ſimulacro ſtante, & Tutelaribus Numinibus. Per E, puteum deſcendit ſervus, apprehenſo fune inſidentem humeris herum portans; hunc ubi depoſuit, primò in imo putei latere foramen occurrit, per quod repentes, magnificum ingrediuntur cubiculum cameratum, cujus in medio ſita erat arca illa marmorea, magnifico funere gravida. Hinc varia in cubicula multiplex patet aditus, ita ut ſubinde de reditu pericliteturviator, niſi filo *Theſei* ad exemplum utatur *Ariadnæ*. In hac Crypta ſeu hypogæo adeo tutè collocabantur corpora, ut nec *Nili* inundatio, nec humiditas, quæ in torrido ſolo nulla eſt, quicquam efficeret: favebat artificium induſtriæ, plurima deſuper congeſta arena, quibus incognitus reddebatur & locus, & locatum.

Verum ne quicquam in hujus negotii expeditione omiſiſſe videar, hoc loco adducam *Epiſtolam* immortalis memoriæ *Petri à Valle*, Patritii Romani, nobilitate generis illuſtris, opibusque præterea linguarum & eruditione Veterum apprime excultiſſimi, qui pro rara animi fortitudine, suo exemplo, luſtrato toto *Oriente*, *Indiis*, *Mogorum Imperio*, *Perſia*, *Armenia*, *Anatolia* ſive *Aſia Minori*, *Paleſtina*, *Babylonia*, *Ægypto*; quæ in iſtiuſmodi itineribus miranda vidit, tum ſcriptis jam in lucem editis, tum hic *Romæ*, mihi amicitiæ neceſſitudine quam conjunctiſſimo, oretenus expoſuit. Quoniam vero digniſſima ſunt, quæ de *Pyramidum* ſtructura, & *Mumiarum* reconditoriis tradidit, hic Italico ſermone ab eo deſcripta, apponenda cenſui. *Liber Petri à Valle Patritii Romani.*

La mattina non era ancora veſtito, che haveva più di cinquanta contadini attorno; e chi mi portava idoletti, che diceva di menarmi in un luogo, e chi in un'altro: io davo ſpaccio a tutti; e mi aviai allegramente. Haveva con me, ſenza queſti contadini, venticinque ò trenta huomini; perche oltra i miei, & alcuni ſoldati, che haveva menato per guardia (che i luoghi non ſon ſicuri) molti amici del Cairo *mi ſi erano anche affilati appreſſo, quando ſeppero, che voleva andare, per la commodità, e per la ſicurezza; & io di buona voglia li haveva condotti. Andavamo dunque tutti armati come* San Giorgi, *che parevamo un' eſſercito. Giunti alle* Mumie, *andai ſcoprendo un poco il paeſe, e viddi eſſere una campagna grandiſſima, come le altre, di arena: & in eſſa, a paſſo a paſſo, per ſepolture, non* Piramidi, *ma vi furono fatti anticamente di fabrica ſotto terra infiniti pozzi profondiſſimi; nel fondo de quali attorno attorno in volta, come nelle noſtre ciſterne, vi ſono pur di fabrica alcune tombe, ò grotticelle baſſe; dentro alle quali riponevano i corpi accommodati come appreſſo dirò, e ſotterrati, per conſervarli meglio, nella medeſima arena; con la quale poi riempivano anche il pozzo, e lo coprivano tanto alto al pari del terreno, che non ſi vedeva, nè ſi cognoſceva dove foſſe. Et in uno di queſti pozzi ſi ponevano molti e molti corpi, che dovevano eſſer forſe tutti di una famiglia, ò pa-*

ò parentado; come facciamo noi, che per tutta la noſtra gente havemo particolari ſepolture. Che foſſe così, lo sò e per la relatione del Belonio, e per molti di queſti pozzi aperti, e voti, che io viddi nella campagna; le Mumie, overo corpi ſotterrati de' quali, da i contadini, che di continuo li vanno cercando, erano ſtati in diverſi tempi trovati e cavati. Non mi curai di ſcender, come fanno molti, e come dubito, che faceſſe il Belonio, in alcuno di quei pozzi voti; perche il mio principal deſiderio era di vedere i corpi come ſtanno, per poter parlar di veduta, e non di udito da quei contadini ignoranti. Però, laſciando i pozzi voti à parte, & havendo quantità di lavoratori prattichi con me, volſi far cavar da quelli in luoghi nuovi, per trovarne alcuno pieno, e non più tocco, ſe foſſe ſtato poſſibile. Ma perche, non ſapendoſi dove ſiano, biſogna cercare alla ventura; conſiderai dove il terreno mi pareva manco ſmoſſo, e men taſtato (che ſi conoſcono i ſegni, dove taſtano molte volte i contadini, e non trovano) e là, in diverſi luoghi, che mi parvero più à propoſito, diviſi i miei lavoratori, ſparſi per una gran parte della campagna; e per dar loro più animo, piantai là in mezo il mio padiglione, con determinatione, e promeſſa, che non ſarei partito da quel luogo, ſe prima non haveſſi trovato qualche coſa. E perche io ſolo non poteva eſſer per tutto, miſi in guardia ciaſcuno degli huomini miei ad una di quelle cave, che ſi tenevano, per aſſicurarmi di ogni fraude; & accioche mi chiamaſſe ſubito chi prima haveſſe ſcoperto ſepoltura, ò coſa di bello. Mentre ſi attendeva al lavoro con fervore, uno di quelli contadini, che dalla ſera ſi era laſciato intendere di haver non sò che coſa da vendermi, ſi accoſtò alle orecchie del mio Interprete, e gli diſſe pian piano, che egli haveva una Mumia intera e molto bella, che ſe io la voleva comprare, me l'haverebbe moſtrata, che era là vicino: ma che non voleva, che lo ſapeſſe alcuno degli altri contadini, perche haverebbono voluto participare eſſi ancora del prezzo, che così devono uſar frâ di loro: però che ſe io voleva vederla, biſognava, che andaſſi ſenza loro dove egli mi haverebbe guidato. Rapportatemi queſte parole dall' Interprete, fui ſubito contento; e laſciato bon' ordine a tutti quei, che cavavano, preſi con me Tomaſo, e'l Pittore, e ſeguitai à piedi il contadino, co'l quale vennero anche due ò trè ſuoi parenti. Ci fecero caminar più d'un miglio, e forſe due; parendo à me molto lontano, quel che egli, accennando co'l dito, diceva ſempre quì, qui, qui, aſſai vicino. Arrivammo finalmente in un luogo, dove preſſo ad un poſſo cavato, che mi diſſe eſſere ſtato ſcoperto da lui trè ò quattro giorni prima, di dentro a certa rena, ſotto alla quale la teneva naſcoſta, cavò una Mumia, overo corpo intero di un' huomo morto, che, per eſſere beniſſimo conſervato, e curioſiſſimamente adorno e compoſto, à me parve coſa molto bella, e galante.

Bellonius.

Bellonius.

Quæcunque hoc loco narrat *Petrus à Valle*, conſentiunt iis, quæ & olim *Bellonius* & nuper *Burattinus* detexit. Aſſerunt præterea *Arabum* monimenta, tantam eſſe horum mæandrorum multitudinem, ut, quemadmodum *ſupra* diximus, ſeſe uſque ad ipſum *Ammonii templum* extenderint, atque adeo totum hoc arenoſum pelagus, ſubtus vacuum ſit, innumeris diſtinctum corporum defunctorum receptaculis. Certe qui veteris *Memphis* vaſtitatem incolarumque frequentiam apud *citatos authores* legerit, facilè ſibi perſuadebit, minimè vero abſimile eſſe, quod tot Authorum teſtimoniis ſtabilitum eſt. Sed ad propoſitum: Pergit deinde Author minutim detectas *Mumias* deſcribere, quarum prima ſignatur litera A. in præſenti figura.

La Mumia *dunque ſcoperta, ſi vedeva eſſer d'huomo, di ſeſſo, e nudo, ma faſciato ſtrettamente, & involto in una gran quantità di panni lini, imbalſamati con quel bitume, che incorporato poi con la carne, fra di noi ſi chiama* Mumia, *e ſi dà per medicina. Quelle faſce, e legami mi fecero ſouvenir ſubito di* Lazaro *riſuſcitato, che à facil coſa, che ſteſſe in queſto modo. V'era di più, ſopra'l corpo attorno attorno, una copertura de' medeſimi panni, tutta dipinta, & indorata, che era molto ben cucita,*



& impegolata, come io credo, da tutte le parti, e ſigillata da ogni banda con molti ſigilli di piombo; coſe tutte, che davano inditio di perſona di riſpetto. Ma, quello che importa, nella parte di ſopra del corpo, che, per la quantità degli auvolgimenti, veniva ad eſſer piana, quaſi come il coperchio di una caſſetta, vi era dipinta una effigie di huomo, di età giovanile, che ſenza dubbio è il ritratto del morto; & era adornata nell' habito, e da capo à piedi, con tante bagatelle fatte di pittura, e d'oro, con tanti hieroglifici, e caratteri, e ſimili capricci, che V.S. vi può vedere, che è la più gratioſa coſa del Mondo: oltra che gli huomini curioſi de lettere ne poſſono cavar mille argomenti per la certezza della antichità di quei tempi. Il veſtir di quell' huomo ſi vede eſſer lungo fin'al collo del piede; e moſtra, che era di panni lini, de' quali à punto habbiamo in Herodoto, *che gli* Egitii *antichi del ſuo tempo uſavano di veſtirſi: però l'habito di coſtui, ſopra 'l bianco del lino, ſi vede eſſer tutto ſparſo di piaſtrelle d'oro, con varii ornamenti di gioie, e di ſegni, ò caratteri ignoti, in quelle impreſſi. La teſta è pur coperta d'ornamento d'oro, e di gemme, ſotto gli quale ſi vedono ſpuntar fuori i capelli, neri, e ricciutelli; e così anche nera, ricciuta, e poca hà la barba: a che, come anche al color del viſo, e delle mani, che è bruno aſſai, & à punto di color di terra, non diſſimile à quello de i più chiari* Ethiopi, *mi par di poter credere, che coſtui foſſe nativo delle parti dell'* Egitto *ſuperiori, e più meridionali, e non di quelli del* Delta, *dove gli* Herodotus.

huo-

huomini di ordinario non arrivano nè eſſer tanto bruni. Si conoſce chiaramente, che era perſona grande, tanto a gli ornamenti degli ori, e delle gioie, che di ſopra hò detti, quanto a quei ſigilli di piombo, che pendono d'ogn'intorno da i lati della involtura del ſuo corpo, ne i quali par, che ſi moſtri più che ordinaria premura della ſua conſervatione; e nella impronta di eſſi, che non bene ſi ſcorge, par, che vi ſia ſcolpito un' animale. E inditio ancora della qualitá grande della ſua perſona, una collana di oro, che porta al collo a guiſa de' noſtri Toſoni; *in mezo alla quale, ſopra'l petto, ſtâ attaccata, come gioiello, una piaſtra grande d'oro, che rappreſenta la figura di un' uccello, e dentro in mezo è ſcolpita cõn vari ſegni non conoſciuti. Secondo* Diodoro Siculo, *i Pretori de' Giudici portavano anticamente in* Egitto *di sì fatte collane, cô'l ſimolacro della Verità: forſe coſtui era uno di quelli: e forſe l'effigiato uccello, che porta al petto, ò un cotal ſegno della Verità, ò altra ſomigliante coſa, vuol ſignificare. Nella man deſtra, tiene una tazza d'oro, piena di liquor roſſo, che, ò ſia vino, ò ſia ſangue (ſe ben vino credo io più toſto, conforme a i detti di* Herodoto) *ho per certo, che denoti qualche libamento di ſacrificio. Con la ſiniſtra (in due diti della quale, cioè nell' indice, e nel piccolo, hà un' anello d'oro per ciaſcuno, negli ultimi articoli preſſo alle unghie) tiene una certa altra coſa, di forma come ovata, e di colore ſcuro, che, ſe io non m'inganno, mi par, che ſia un di quei frutti, che in buon* Toſcano *ſi chiamano* Petronciani, *ma da i* Lombardi *ſon detti* Melanzane, *& in* Roma *dal volgo* Marignani; *e, ſe mal non mi ricordo, in lingua groſſa* Napolitana Molegnane: *e'l tenerlo coſtui in mano, havrâ pur qualche miſterio: Le gambe, & i piedi, gli há nudi, ſolo con ſcandalij neri, che non cuoprono altro, che la pianta del piede; e paſſando un laccio di eſſi pur nerò, che vien di ſotto dalla ſuola, fra'l dito groſſo, e l'altro dito al groſſo più vicino, ſi allaccia con due orecchiette, che vengono di dietro dal calcagno, e fà ornamento ſopra'l piede, con una gratioſa cappietta.*

Diodorus.

Herodotus.

Pergit jam deſcribere *Author*, vocabulum ⲉⲩϯⲩⲭⲓ in pectorali faſcia deſcriptum, & eſt vox Ægyptiaca, & idem notat, ac *proſperetur*, uti alibi copioſè oſtendimus. Ex quo patet, *Ægyptios Hieroglyphicis* ſuis ſubinde voces quaſdam patrio idiomate immiſcuiſſe; quod cùm multi negent, ii apertè vel ex hoc paradigmate convinci poſſunt. Vide quæ de hoc argumento *variis hujus Operis locis* tradidimus, & ipſe *Petrus à Valle* ſequentibus verbis demonſtrat:

Il più curioſo, che vi ſia, è una faſcia, come alla cintura; dove con tinta nera, in lettere Egittie, *delle quali appreſſo parlerò, è ſcritta queſta parola* ⲉⲩϯⲩⲭⲓ, *cioè* Eutiche, *ò* Eutichio, *che, come c'inſegna la lingua Greca, ſignifica* Bonaventura, *che io non poſſo credere altro, ſe non che ſia il ſuo nome proprio, e l'eſſere ſcritto per I in ultimo, e non per HS, come in* Greco *dovrebbe ſtare, ſarà forſe corruttione* Egittia; *come anche* Egittia *è la lettera* ϯ, *che eſſi hora chiamano* Dei, *uſata quivi in vece della T; & e ſenza dubbio quel famoſo* Tau *degli antichi* Ebrei, *e di altre nationi, in forma di Croce, ſecondo* Origene, *e San* Girolamo, *che è il ſegno degli eletti, accennato nell'* Eſſodo, *e nell'* Apocaliſſe, *ma più chiaramente in* Ezechiele, *la figura del quale gli* Ebrei *più moderni, in odio della Croce, come ben dice il dotiſſimo* Genebrardo, *frâ i loro caratteri, in altra figura, nel modo, che l'uſano hoggidì, malitioſamente hanno mutata. Potrebbe eſſere ancora, che quella parola* ⲉⲩϯⲩⲭⲓ *foſſe Verbo, in modo Imperativo, & in ſeconda perſona, ò pur in terza; dato che, per qualche ragione della lingua* Egittia, *in queſto differente dalla* Greca, *non ripugnaſſe a ciò la terminatione della ultima ſillaba; e che voleſſe dire:* Sia felice: *motto uſato per ventura di dirſi all' hora a i morti per ultima cerimonia, quaſi come hoggi il noſtro,* Habbia pace, ò Vada in pace: *nel modo a punto, che* Enea, *mandando il corpo di* Pallante *al Padre e nella ſepoltura, nell' inviarlo, viene indotto da Virgilio a dir, per ultimo,*

Origenes.
S. Hieron.
Exodi.
Apocalypſis.
Ezechiel.

Genebrardus.

Salve

Virgilius in Æneid.

Salve æternùm mihi maxime Palla,
Æternùmque vale.

Comunque ſia, vedendo io una coſa tale, hebbi un guſto grandiſſimo: feci il prezzo co'l contadino, e contentandoſi egli di darmela per trè piaſtre, gliele diedi ſubito profumatamente, facendomi quaſi coſcienza, che foſſero troppo poche. Gli domandai, ſe ne haveva più, che di gratia faceſſe preſto, & me le moſtraſſe. Mi riſpoſe, che dentro al pozzo ne haveva un' altra, non men bella: gli diſſi, che la laſciaſſe ſtare, che voleva calare io a vederla giù; ma egli, allettato dalla prima vendita, tanta era l'avidità, che haveva di toccar preſto i denari della ſeconda ancora, che non mi volſe dar tempo, e mandato giù nel pozzo uno de' ſuoi Compagni con una corda, la fece ſubito tirar fuori in mia preſenza.

Progreditur jam *Valleus* ad ſecundam *Mumiam* deſcribendam, quam nos in Figura ſignavimus litera B, & fœminæ mentitur figuram. Quibus vero ſymbolis, characteribus, ornamentis fuerit inſignita, ſequentibus minuta relatione deſcribit.

A B



Era queſt' altra ancora parimente bella, & accommodata nel medeſimo modo: ma il ritratto di ſopra (e queſto mi piacque più) era di una donna giovane, che ſenz' altro doveva eſſere, ò la moglie, ò la ſorella dell' huomo già cavato; perche i contadini

mi

mi diſſero, (& io ancora viddi il luogo) che ſtavano amendue nel medeſimo luogo della tomba, uno a lato dell' altro. L'habito della donna è aſſai più ricco d'oro, e di gioie, che non è quello dell' huomo. Nelle piaſtre d'oro, che vi ſono ſparſe ſopra, oltre degli altri ſegni, e caratteri, vi ſono anche ſcolpiti certi uccelli, e certi animali, che a me paiano Leoni; & in una più giù nel mezo, un Bue, ò Vacca, che ſia, che deve eſſer ſimbolo di Apis, *ò d'*Iſide. *In un' altra, che pende al petto dalla più baſſa collana, perche di collane ne hà molte, vi è l'impronta del Sole. Hà di più i pendenti alle orecchie con gioie: maniglie doppie alle braccia, & anche alle gambe: anelli molti in amendue le mani, cioè nella ſiniſtra, un per dito, in tutte le dita, fuor che nel groſſo; e nell' indice un' altro ancora nell' ultimo articolo preſſo al unghia; e nella deſtra, due ſolamente, amendue inſieme al luogo ſolito nel dito, che ſi chiama dell' anello. Con la man deſtra tiene un vaſetto d'oro aſſai piccolo, quaſi della forma di quei boccali, co'i quali in* Roma *ſi ſuol dar l'acqua alle mani a menſa; e par che lo tenga come ſcherzando con due ſole dita. Nella ſiniſtra tiene come un mazzo di certe coſe lunghe, e rotonde, che io non sò conoſcer quel che ſiano: tanto più, che per far vedere in qual modo le* Mumie *ſtiano ſepellite nella rena, queſta della donna non la hò nettata affatto della rena: anzi a bella poſta ve l'hò laſciata in molti luoghi attaccata, il che però in quei luoghi offuſca un tantino la pittura. Il color della donna è un poco manco bruno di quello dell' huomo: eſſa ancora hà i capelli neri, e più toſto ricciutelli, che altro, e per tutto intorno al viſo ſcoperto: neri medeſimamente gli occhi, e le ciglia, che ſon groſſe, e congiunte, conforme anche hoggidi le amano in queſti paeſi: così ancora hà gli occhi molto aperti, e grandi, e par che le palpebre ſiano un poco infoſcate ſotto e ſopra, che forſe deve eſſer con lo ſtibio, come pur' infin' hoggi è uſo molto famuliare di portarle frà tutte le* Orientali, *al modo che conta la* Sacra Scrittura *dell' antica* Jezabel. *Del reſto, non devo tralaſciar di dire, che la pittura, tanto dell' huomo, quanto della donna, non par, che ſia di buona mano: ma di quella maniera a punto, della quale vediamo in* Roma *alcune figure di Santi di quei tempi baſſi e rozzi.*

Ne vero quicquam ad ſubterraneam locorum conſtitutionem omiſiſſe videretur; magno ſanè animo ſeſe, ad ſingula curioſe obſervanda, intromiſit; quænam vero aut qualia in Sepulchris obſervaverit, ſequentibus verbis deſcribit.

Io contai ſubito al contadino altrettante piaſtre, prima che egli me le domandaſſe: e gli diſſi, che mi ajutaſſe a ſcendere, che io voleva calar nel pozzo in ogni modo. Ma perche era molto alto (ſecondo me, da cinquanta, ò seſſanta palmi, ſe non più) & era tanto largo, che io, che non ſon Gigante, dubitava di non poter stender le gambe, che arrivaſſi co'i piedi di quà e di là, e con le mani a tenermi ne i ſaſſi, non fidandomi di un' huomo ſolo, ch'era giù, per ſicurezza di non rompermi il collo, feci calare un' altro, che veniſſe con me, ajutandomi di ſotto, e Tomaſetto *ancora, che andaſſe prima giù con qualche pezzo di arme, per ogni buon riſpetto. Legatomi poi ben bene la cintura con una corda, che la raccommandai a quelli di ſopra mi feci mandar giù allegramente: mà trovai nell' andare, la ſceſa aſſai più facile che io non penſava; di maniera che, ſenz' altro ajuto, calai beniſſimo, e molto preſto, da me. Giunto nel fondo, trovai le Tombe intorno tutte piene de corpi morti, che veramente, come il contadino diceva, biſognava che il pozzo allhora allhora foſſe ſtato trovato. I corpi ſtavano ſenza ordine, ſotterrati, come hò detto a V. S. nella rena, che, come aridiſſima, gli mantiene, e preſerva da corruttione; e giacevano un ſopra l'altro in quella involti, come a punto i maccheroni trà'l formaggio. Erano accommodati tutti nel medeſimo modo, con le ſteſſe faſce e bitumi: ma vi era queſta differenza, che con oro, e pittura, oltra de' due, che havevamo cavati, non ve n'era altro, che uno; e quello ancora non così ben conſervato, perche forſe da i contadini era ſtato guaſto nel trovarlo. Gli altri tutti, che erano gran quantità, havevano ſolo l'involtura de ſemplici faſce, e bitume, ſenza oro,*

ſenza pittura, e ſenza altro ornamento. Queſto mi fece penſare, che gl' indorati e dipinti foſſero di perſone di qualità, e de' padroni; e quegli altri, ò di ſervi, ò di gente

Herodotus.
Diodorus.

di minor conditione; ſecondo'l detto di Herodoto, *come anche di* Diodoro Siculo, *che riferiſcono eſattamente queſto modo di condire i corpi degli* Egittii *di varie ſorti, con più, ò manco ſpeſa, conforme alla qualità delle perſone,* de quibus vide quoque

Braſavolus *De examine terrarum.*

Braſavolum. Quell' uno, che trovai giù con pittura, & oro, oltra del ravuolgimento di tela, fù trovato da i contadini dentro una caſſa di legno, intagliata ſopra con una effigie di donzella; e ſi conoſceva eſſer tale al portamento della teſta con quella benda larga, & uguale attorno al viſo, che pende da due bande verſo il petto, ſimile a punto al portamento del capo della Sfinge: *la quale, ſignificando la fertilità dell'* Egitto *per le inondationi del* Nilo, *che ſono a punto quando il Sole in Leone, & in Vergine ſi trova;*

Julius Solinus.

tempo, come dice Giulio Solino, *da i Sacerdoti* Egittii *ſtimato per lo natale del Mondo; vien però finta di figura dal mezo in giù di Leone, e dal mezo in ſù di Vergine; onde ſi fà chiaro, che il portamento ſuo della teſta è portamento di Vergine; il qual portamento haveva la figura intagliata ſopra la giá detta caſſa, differente aſſai dal portamento della teſta di quell' altra della donna, che trovai inſieme con quella dell' huomo; che però dobbiamo creder che foſſe maritata, e moglie di colui, preſſo a chi ſtava ſepolta. Dell' uſo di conſervarſi in* Egitto *i cadaveri, in vece di caſſe, dentro a ſtatue di legno, rappreſentanti l'effigie del morto, mi ricordo, che l'iſteſſo* Herodoto, *Autore antichiſſimo, ne fà mentione. Hor queſta caſſa ò ſtatua della donzella era ſtata aperta là nella medeſima tomba, e guardandola io, ci trovai ſopra molti* Hieroglifici *intagliati, e piacendomi aſſai, la volſi, e feci tirar fuori. Ma il corpo, che c'era dentro della donzella (che tale ſi conoſceva eſſere ancora per la picciolezza ſua) non mi curai di cavarlo fuori intero, non eſſendo, come hò detto, conſervato bene. Ma lo feci ſpezzare in mia preſenza: prima per veder come ſtavano dentro le faſce, e gli oſſi co'l bitume; poi, per haver di quella materia, che è medicinale, e ſtimata, come V. S. ſà; e qui dicono, che quella delle donzelle, e de' corpi vergini è la migliore: & anche per veder ſe dentro, ò attorno frà le faſce, ci haveſſi trovato alcuna curioſità d'idoletti, ò coſa ſimile; perche in* Cairo *mi dicevano, che queſti idoletti, che in gran quantità ſe ne vedono, & io ne hò di varie ſorti, ſi trovano dentro a queſte* Mumie, *perche quando condivano i corpi, ce li mettevano, ò dentro al petto, ò a canto, per cuſtodia come Dei tutelari: & in queſta, che era delle più ornate, e ricche, e forſe la figlivola delli due già cavati, era veriſimile di trovar, piu che in ogni altra, qualche coſa di curioſo. La ſpezzai dunque, ma dentro non vi trovai niente: anzi, al modo, che viddi che ſtava, mi par difficile, che dentro a quei corpi ſi poſſano trovare idoletti, maſſimamente della grandezza d'uno diaſpro, che in* Cairo *mi era ſtato moſtrato; tanto più, che habbiamo in* Herodoto, *che i corpi non ſempre gli ſparavano: ma alle volte gli nettavano dentro, e facevano uſcir loro le interiora con chriſtieri di cedria; e'l cervello lo tiravan fuori dalla teſta con ferri per lo naſo, condendogli in queſta guiſa, ſenza rompere i corpi in parte alcuna.* — Herodotus.

Però di queſto particolare de gli idoletti, che vi ſi trovano, ò dentro, ò con eſſi infaſciati, mi rimetto a chi ne hà veduto meglio di me. Io, disfacendo il corpo della donzella, non trovai altro, che grandiſſima quantità di faſce, e di bitume, nel che conſiſte tutto il maſſiccio dell' involtoglio; perche gli oſſi con la carne, ſon talmente ſecchi, abbruciati, & impicciolíti, che ſon ridotti a punto come ſtecchi; da che comprendo, che quel bitume ſia molto potente. E così ancora dentro al corpo, ò che foſſe intero, e riempiuto co' chriſtieri, ò che foſſe ſparato, il che non ſi poteva conoſcere, era pieno ogni coſa di bitume, e talmente, che faceva tutto una maſſa inſieme impaſtata, che rompendoſi a pena ſi conoſceva qual' era il bitume, e quali erano le oſſa. Quæ omnia exactè conſonant iis, quæ ſuprà ex Nardio retulimus. *Vna coſa non è da tacere, che era quella materia tanto dura, che volendo*

volendo io romperla, biſognò darle con ſaſsi e con ferri di buoniſſimi colpi, e con fatica la ſpezzai: dalle quali coſe V.S. può comprendere, quanto ſi affaticavano i poveri Egittii, *per conſervare i corpi ancora, inſieme con le anime, le poſsibile foſſe ſtato, alla eternitâ. Di queſta* Mumia *ſpezzata, volſi per me la teſta tutta intera, & un buon pezzo di bitume, con una mano di quelle faſce: il reſto, perche mi pareva di haverne d'avanzo per li denari, che ſpendeva, lo laſciai tutto a quei poveri contadini, che ſogliono in quel modo ſpezzarle, e venire a vender la materia in* Cairo *a coloro, che la comprano, con gran guadagno, per mercantia.*

Multa alia, curioſitate plena, reperit ibidem, quæ & in hunc uſque diem in Muſeo dicti *Petri à Valle* cernuntur; ſed uti temporis anguſtiâ ea incidi non permiſit, ita ea conſulto omittenda duxi. Sunt autem inter alia, Aurea larva capite fœmineo ſpectabilis, tota *Hieroglyphicis* referta, cum variis idolis, & capite *Apidis*, aliaque, quæ apud *Authorem* tum leguntur, tum ſpectantur quorum & nos in *ſequentibus* mentionem faciemus.

Atque hæc ſunt, quæ, antequam *Hieroglyphicorum*, quæ *corporibus Mumiacis* inſcripta reperiuntur, interpretationem aggrediamur, præmittenda duximus. Nihil igitur jam reſtat, niſi ut ad ipſas interpretationes *Hieroglyphicorum* nos accingamus.

PARS II.

Oedipus Sphingi de propoſitis Quæſitis per veridicam Interpretationem reſpondet.

CAPUT PRIMUM.

De Hieroglyphicorum *Natura & Proprietate.*

Hieroglyphica ad Numina attrahenda vim habere putabantur.

SYmbola *Hieroglyphica*, uti ex omnibus mundialium rerum claſſibus aſſumpta fuerunt: ita magnæ quoque virtutis & efficaciæ, ob miram & occultam cum ſupramundanis cauſis connexionem, fuiſſe, ex *Ægyptiorum* opinione amplè in *opere Oedipi* demonſtratum ex omnigena eruditione fuit. Neque enim quiſquam ſibi perſuadeat, primos *hujus literaturæ* Inſtitutores, temere & fortuitò quarumlibet obviarum rerum imagines ad ſacræ ſculpturæ myſteria inſtitutas adhibuiſſe: ſed eas ſibi potiſſimum, quas longo ſtudio & experientiâ, ex abditis naturalium Characteriſmorum ſigillis, ad mundanas Geniorum Catenas magnam habere ſimilitudinem, proprietatem, & analogiam norant, aſſumendas duxerunt. Quæ quidem tanto putabantur efficaciores, quanto majorem, ad Mundanæ alicujus catenæ Numen choragum, ſimilitudinem exprimebant; ut proinde hinc Numinum Catenæ, quas *Seiras* vocant, originem traxerint; ad quas omnia ea, quæ ſive in Sidereo, ſive Hylæo Mundo, in Quadrupedibus, Volatilibus, Vegetabilibus, Mineralibus, ad Numen, certæ catenæ cujuſpiam Præſidem, analogiam quandam virtutibus ſuis præ ſe ferre videbantur, tanquam Numini iſtius Catenæ tutelæ commiſſa, aſſumerent. Hoc pacto *Catena Oſiriaca, Hermetica, Iſiaca, Serapica, Momphtæa*, atque innumeræ aliæ quas in *Aſtro-*

Catenarum quas Seiras vocant, origo.

logia & *Medicina Hieroglyphica* adduximus, erant certæ quædam rerum, ex diverſorum Mundorum ordinibus aſſumptarum, claſſes, in quibus ſingulæ res, quantumvis etiam diſparatæ fuerint, Numinis Catenæ alicui præſidentis virtutes & proprietates exprimebant. Et quemadmodum dictas res ab iſtiuſmodi Catenæ Archichorago profluxiſſe autumabant: ita eam quoque ſympathiam cum Numine illo habere credebant, ut illâ poſitâ Numen infallibiliter & neceſſariò, tanquam ad rem vehementer ſibi ſymbolam & maxime appropriatam, afficeretur, attraheretur-que. Unde *Magia* nata eſt: qua per Magicam inferiorum cum ſupernis Entibus, veluti paſſivorum cum activis, applicationem, mirificos effectus producere ſe poſſe credebant. Atque hoc fonte quoque *Oraculorum* architectura profluxit, quâ per dictam *Magicam peritiam* Dæmones in Statuas compingebant; eorumque, verbis barbaris & prodigioſis, ad quæſtiones propoſitas reſponſa extorquebant: unde *Divinatoria ars* natales ſuos invenit. Ex hoc denique capite *ars Amuletaria* reperta, qua *ſacra Symbola* dicto modo Catenis mundialibus accommodata, loco *Periaptorum*, ad bonum, quod ambibant aſſequendum, ad malum vero, quod fugiebant avertendum, portabant. Quæ quidem magnæ efficaciæ *Symbola*, ſummâ connexione ad rationes in Idearum Idea contentas, primo in *Obeliſcorum* duriſſimis ſaxis, veluti prototypa quædam æternum duratura, inſculpebant: ex quibus deinde quiſque ſibi depromeret, in privatos uſus, ſive bonorum attractiva, ſive malorum averſiva, *Periapta*, *Prophylactica*. Sacerdotes quoque juxta Ideales rationes, quas multiplex *Symbolorum* in Simulacris apparatus exhibebat, ſacrificia ſua, in ordine ad θεομόρφωσιν obtinendam, in adytis peragebant. His itaque ſuppoſitis

Magiæ origo.

Oraculorum.

Amuletariæ artis origo.

Dico primo, *Hieroglyphicam literaturam* in *Obeliſcis* exhibitam, nihil aliud fuiſſe, quam ſcientiam theoricam & practicam de *Deo* divinisque ordinibus Mundorum Præſidibus, ex quorum concatenato influxu omnia in Mundorum œconomia adminiſtrarentur: atque hanc Theorica ſectabatur. Practica vero, Numinum, quam Theoria demonſtrabat, qua propitiandorum, qua ſui juris faciendorum rationem ſuppeditabat. Sed hoc ita eſſe ſic oſtendo:

Hieroglyphica literatura quid.

Si *Obeliſci*, præter hanc Theoſophiam, aliud quidpiam, uti hiſtorias, prophetias, laudes Regum, ſimiliaque continerent, certum eſt, *Obeliſcos* ſingulos, uti diverſa exhibebant, ſic diverſis *Symbolis*, diverſoque eorundem contextu fuiſſe inſignitos: quod tamen nulla alia ratione factum dici poteſt, & res ad oculum patet: Siquidem vix *Obeliſcus* eſt, qui non eadem quaſi contineat, in ſingulis non tantum *Symbola* eadem, ſed & integra figurarum ſyntagmata, uti in actuali *Interpretatione* demonſtravimus, ubi ex uno in alium tranſlata ſpectantur. Et, ut paulo propius rem adoriar, Minores *Obeliſci*, quos *Monti-Cœlium*, *Mahuræum*, *Mediceum* in *Oedipo* nuncupavimus, adeo ſimiles ſunt, ut eos ſine injuria eoſdem dicere poſſis. *Obeliſci* quoque majores, tametſi fuſiori, pro argumenti ratione, contextu ſignati ſint, ad eundem tamen ſcopum, ad eandem prorſus metam, tendunt in quam minores. Iterum *Obeliſcus Flaminius* & *Salluſtius*, uti oſtenſum fuit ſuis locis, prorſus iidem ſunt. Patet id quoque ex epigraphe omnium ferè *Obeliſcorum*, quæ influxum Supremæ Mentis, veluti ex centro quodam, in univerſas Mundorum ſibi ſubjectorum claſſes, diffuſum indigitant.

Obeliſci minores inter ſe ſimiles ſunt.

Atque adeo idem *Ægyptiis* contigiſſe videtur, quod moderno tempore in noſtræ Chriſtianæ Religionis Myſteriis exhibendis præſtari videmus; in quibus tametſi Divinitatis Myſteria, ut SS. Triadis, Incarnationis Verbi æterni, ſub alia & alia ratione depicta videas, unum tamen ſemper & idem, quoad eſſentialem ſignificationem, exhibent.

Itaque *Ægyptii* Supremam cauſarum Cauſam pro virtutum ab ea promanantium,

tium, una cum Fundo paterno, Verbo ſuo, diverſis omnino modis & *Symbolorum* ſtructura exhibebant. Idem de Geniorum, Secundeorumque, quos Orthodoxa doctrina Angelos nominat, ectyporum varietate ſentiendum eſt. Ut proinde *Obeliſcos* nihil aliud quàm quod dixi repræſentare, ex dictis, pateat.

Dixi ſupra, *Obeliſcos* non Theoſophiæ duntaxat maxima ſacramenta *Symbolis* ſuis expreſſiſſe; ſed & inſuper fuiſſe juxta *Ægyptiorum* exiſtimationem magnæ virtutis Sigilla, ad Numina non placanda tantum, ſed ad eadem attrahenda, & ſui juris facienda, à Sacerdotibus conſtituta. Quod adeo verum eſt, ut ad id demonſtrandum nihil aliud requiri videatur, niſi ut quæ in *Oedipo in Syntagmatis propriis de Mumiis*, *Canopis*, *Sphingibus*, *cæteriſque Averruncis ſimulacris*, tradidimus, aſſiduâ comparatione examines: Nam ipſo facto, nullam ferè ſive *Simulacri* formam, ſive *Symboli* alicujus ectypon ſeorſim extare, quod non in ipſis etiam *Obeliſcis*, obvium ſpectetur, reperies: Argumentum ſane prorſus irrefragabile, omnia *Symbola* non tantum ſignificativa, ſed & effectiva apud ipſos fuiſſe, id eſt, magnæ efficaciæ Sigilla, quæ *Amuleta*, *Periapta*, *Phylacteria*, vel *Alexiteria* ab *Authoribus* paſſim nuncupantur. Cum vero hujuſmodi *Amuleta* nonniſi ad ſupernas Poteſtates propitiandas dirigantur, certum eſt, præter hanc, altiſſimarum quoque rerum, divinarumque virtutum fuiſſe *Symbola*, quæ mirum cum ſupramundanis Cauſis ordinem & proportionem dicebant. Ita dictorum ordinum Choragos, quos exprimebant, ad id quod intendebant, impetrandum, reciprocæ & occultæ actionis proprietate, ſolis Sacerdotibus nota, mire ſollicitari opinabantur.

Differentia itaque priſcæ Religionis in hoc tantum interceſſit, quòd ſapientes vero fidei lumine deſtituti, ac proinde Satanicæ illuſionis verſutia in tranſverſum acti, latricum ſoli *Deo* debitum cultum ipſis creaturis & inſenſatis rebus attribuerint. Sed ad inſtitutum noſtrum revertamur. His itaque ad majorem *Hieroglyphicorum* notitiam acquirendam præmiſſis, jam ad *Gallicanæ Mumiæ* Interpretationem progrediamur.

CAPUT II.

Gallicanæ Mumiæ *Interpretatio.*

Continet hæc *Mumia* duplices *Inſcriptiones Hieroglyphicas*: quarum duæ in Capſula exteriori, reliquæ in ipſo *Mumiæ* integumento continentur, & ſunt ſex, totidem Simulacris annexæ, à quibus Interpretationis exordium ſumemus.

Occurrunt primo quatuor Simulacra polymorpha, ſe mutuo reſpicientia, reticulato integumento infantium more involuta, nec non ſacro *Iſidis* velo obtecta: quæ ſignificant quatuor Numina *Ægypti* præcipua, quorum officia per capita dignoſcuntur. Prius ſignatum litera E, puerilem Vultum velo Iſiaco tectum, connotat *Horum Oſiridis* filium, *παιδόμορφον*, Genii ſenſibilis Mundi *Hieroglyphicum*, de cujus myſteriis, vultus forma, poſtea. Secundum *κυνόμορφον*, id eſt, Canino capite expreſſum, denotat *Anubin* ſeu *Mercurium*, animarum traductorem. Tertium *ἱερακόμορφον*, id eſt, Accipitrino capite expreſſum, ſignificat *Solaris naturæ genium*. Quartum *λεοντόμορφον*, id eſt, Leonino capite conſpicuum, denotat numen quod *Momphtha* vocant, id eſt, Elementaris ſive hylæi Mundi Numen principale. Atque hæc ſunt præcipua *Ægyptiorum* Numina, quos ipſi ſupramundani & Archetypi Numinis, quod



Hempta vocant, Aſſeclas & Miniſtros ſeu Choragos dicunt, cadaverumque eorum quæ balſamo aſphaltoque prius contra incorruptionem temporumque injurias probe munita in ſacris ædibus condebantur, cuſtodes credebant. Atque hæc omnibus paſſim *Muniacis corporibus*, vel aſſuta, vel in iis depicta cernuntur, ut *in præſenti Iconiſmo* videre eſt.

Ubi vides, poſt varios circulorum ductus Cœleſtium Zonarum D E, intra quas hujuſmodi corporum animas traductum iri cenſebant, manſiones, vel in ipſa lignea Capſula, Figuras fere eaſdem, quas *Mumia Gallicana* monſtrat, exhiberi, quæ pariter in reliquis *Mumiis* depicta videntur. Numinum quoque figuras, quas præſens *Mumia* demonſtrat in iis una depictas ſpectavi: ſed de hiſce fuſius *in ſequentibus*: quibus tamen ſubinde, inter hæc quatuor Numina, alia jungunt, cujus rei cauſa dicto loco expoſita eſt. Sed jam explicemus ſingula:

Simulacra velo Iſiaco tecta ſunt ſingu- Dicitur *Iſiacum*, eo quod fabulam *Iſidis* commemoret, *Plutarcho* teſte, *Iſidem* nimirum ob *Oſiridis* mariti mortem, hujuſmodi velo luctus cauſa uſam fuiſſe: unde & id, in ſacrorum *Symbolorum* numerum receptum, in omnibus paſſim Simulacris utriuſque ſexus conſpiciebatur. Juxta myſticum vero ſenſum leges ſtatuebantur, Ne quiſquam loca ſacra viſitaturus, aut ſacris ibidem operam daturus, ſine hujuſmodi ſacri velaminis operimento ingrederetur: dedecere enim ſupremi Numinis Majeſtatem nudo vertice ante eam, teſte *Porphyrio*, comparere. Vide quæ de hiſce quam uberrime tractavimus variis locis *in Oedipo* noſtro. Sub quorum velo novem Circulares monſtrantur ductus, quibus denotantur Zonæ cœleſtes, intra quas poſt Metempſychoſin peractam animæ, ſi bene operatæ fuiſſent, uti *paulo ante* diximus, intra Heroum, Semideorumque Numinum conſortium tranſveherentur, ſemper duraturæ; de quibus *in Præfatione* ſat actum fuit. Quid vero reticulatus ille habitus, quo involuta ſpectantur Numina ſibi velit? dico hoc occulto quodam & myſtico ſenſu Myſtas innuiſſe Divinam ſcilicet ſupremi Numinis naturam abditam eſſe & inacceſſam, nec ullis corporeorum ſubſtantiæ membrorum formis effuſam, ſed ſolis idealium rationum notionibus, quæ per puncta reticularibus ductibus inſerta ſpectantur, fœcundam; uti ex *figura* B patet.

Plutarchus.

Porphyrius.

patet. Vide quæ de hiſce, tum *in Obeliſco Pamphilio*, tum in *Oedipo* diverſis in argumentis quàm ampliſſimè diſſeruimus.

Quemadmodum itaque quatuor hæc Numina πολύμορφα, *Horus*, *Anubis*, *Thauſtus* ſive *Hammon*, & *Mompta* ſupremi Archetypi Numinis Miniſtri & Aſſeclæ cenſebantur : ita quoque in omnibus fere *Hieroglyphicis monumentis* locum inveniunt, uti *Obeliſcos* evolventi Lectori, luculenter patebit. Hæc enim præterquam quod quatuor anni Temporum, quatuor Mundi partium, quatuor Elementorum, Præſides habebantur, Medicatorum quoque corporum animas ab omni *Adraſteæ* legis neceſſitate immunes cuſtodire & conſervare perhibebantur; ut proinde iis per varia ſacrificia, ritus, Ceremonias conſecratis, per varias Mundorum catenas, quas σειρὰς vocant, ad dicta Numina analogas, veluti illiciis quibuſdam & incantationum irritamentis, dicta Numina ad Corporum conſervationem adigi quaſi crederent. Uſquedum evolutione juxta triplicem Naturæ gradum peracta, Geniorum, Deorum, Semideorumque Sphæris poſt palingeneſiam, receptis jam intra corpora humana animabus, intra Deorum conſortium adnumerati, propitiantibus Diis, perpetuo triumpharent, vel *Horææ*, vel *Oſiricæ* aut *Anubicæ*, aut *Momptææ* ſphærarum Zonæ, modo inferiori aut ſuperiori, pro meritorum inter vivos cumulo, inſererentur, ne ex bruta & belluina in terris transacta vita, inter inferioris Mundi hylæas Zonas, locum demeritis eorum congruum, ad belluina corpora condemnati, infelicem vitam, *Adraſtiæ* lege ſic exigente, in perpetuum ſortirentur. Vide quæ *in ſuperioribus* de his diſſeruimus. Hinc non Capſulam tantum, quæ ex cedrinis, aut ficaſtri, aut alterius incorruptibilis ligni tabulis conſtare debebat, intra quam Regis alicujus, Sacerdotis, aut alterius Viri in vita ſapientiæ ſtudio dediti, Deorumque cultu probè exercitati cadaver, Balſamo, Aſphalto, Bitumine, Myrrha, ſimilibusque pigmentis contra omnem incorruptionem temporumque edacitatem probè munitum condi debebat, aptabant; ſed & id in ſacris Adytis, ſummarum & ceremoniarum varietate adornatis, Theophylactis Numinibus cuſtodiendum tradebant; & ne quidpiam ad ſuperſtitionem deeſſet, circa ipſam Capſam, dictorum Deaſtrorum Simulacra hinc inde ad ſecuriorem Tutelam vel etiam in ipſo Indumento Cadaveris depicta, aut papyraceo filo ei aſſuta, velut magnæ efficaciæ futura, affigebant : accedebat hiſce *Hieroglyphicorum*, quibus Depoſitum intus & extra veluti inarabatur, multitudo, quibus ex abdito mundialium Catenarum conſenſu, tanquam illiciis quibuſdam ad corpus conſervandum Numina, ligari putabant : Quæ omnia partim *in anterioribus hujus Tractatus* conſtant, partim quoque ex ipſa Medicatorum corporum *Hieroglyphica literatura* tum in hac præſenti, tum in aliis *Mumiacis corporibus* luculenter patent.

Quoniam vero ſub *Archetypi Numinis* providentia ſubdebantur, eam ob cauſam Statuæ ſignatæ literis D, D, quas ἀποτροπαίας, Averruncas ſive propitiatorias, vocabant, ingeniculatæ apponebantur, quæ *Iſiaco* velo, omnibus Numinibus Tutelaribus communi, tectæ, deinde vel nudo corporis habitu, vel ſaltem tenui & mundo ex lino contexto indumento amictæ, ſupremo Numini, omnium Moderatori, quod *Hempta* lingua Ægyptiaca vocabant, uti *ſupra* dixi, pro conditi corporis anima, quò hæc poſt felicem in variorum corporum tranſvaſationem peractam, tandem intra Sphæram aut Geniorum aut Heroum, uti dixi, pro meritis benignitate Numinis aſſignatam conduceretur, ſupplicare videbantur. Atque hæc eſt ſummaria quædam rerum per Simulacra Geniorum ſignificatarum expoſitio. Nunc ſingularum Myſticas rationes pari paſſu enucleemus, ut expoſitionis peractæ veritas luculentius pateat.

CAPUT

CAPUT III.

Supremi Numinis Archetypi *expoſitio.*

Statius.

RECte & ſapienter Statius: *Primus in orbe Deos fecit timor*; ſiquidem primævi illi mortales, legis Naturæ arbitrio victitantes, cum à primævis Mundi Patribus multa de ſumma *Dei* Majeſtate, de ſummo rigore Juſtitiæ in *Adamo* & poſteris, Dæmone ſtrato, de peccatorum ſuppliciis, cæteriſque caſtigationibus & vindictis inaudiſſent, timore quodam panico perculſi, dum omnia ad latentem Numinis præſentiam, ſuſpecta haberent, paulatim ad Numen placandum Sacrificia, variosquè ritus & Ceremonias inſtituerunt. Verum cum indiſcreta quadam notitia *Deum* omnibus rebus præeſſe percepiſſent, Divinâ paulatim unione, pro Subjectorum naturalium ratione & nume-




ro, diſciſſa & diviſa, tot in *Ægypto* Numina finxerunt, quot Entium gradus in Natura cognoſcebant, innumeris ritibus & ſuperſtitionibus conferta; ut proinde hinc Auguria, hinc Divinatoriæ artes, hinc Sortilegia Aſtrologiæ involuta, falſa myſteria, originem invenerint: donec *Triſmegiſtus Mercurius*, quem *Thot*, à primo menſe *Thot*, ejus honori inſcripto, vocabant, conclamatam Idololatriæ confuſionem miſertus, diviniora, primorum Patriarcharum, *Sem*, *Cham*, *Iaphet*, filiorumque, quibus cum vivebat, dogmata edoctus (erat enim, teſte *Chronico Alexandrino*, peringenioſus, & ad Divina myſteria cognoſcenda proniſſimus) novam de *Deo* uno, vero, bono, de Angelorum Dæmonumque diſpoſitione & ordine Theoſophiam exorſus, ſtudio ad id excogitatis, pro ingenii ſui ſublimitate & præeminentia, argumentis rerum uſu conſpicuis cognitam artem,

tem, ſolis Sacerdotibus & ſapientibus viris ad regnum ſpem habentibus revelatam, Idiotis verò & ſuperſtitioſæ plebi inacceſſam & prorſus imperviam, Saxis, contra omnes temporum injurias, inſculpſit. Atque hi ſunt famoſi illi *Libri Hieroglyphicis obvelati*, ab *Hermete* in *Obeliſcis* deſcripti, ex quibus *Pythagoras* & *Plato Ægyptiorum* diſcipuli, prima ſuæ Theologiæ fundamenta, teſte *Iamblicho* hauſerunt, in hunc uſque diem *Romæ* ſuperſtites, veluti antiquæ ſapientiæ ſpecimina. Ex his itaque luculenter patet, cur Corporum curæ conſervandorum *Ægyptii* veteres tantopere, juxta ea quæ *in Præfatione* diximus, incubuerint.


Sed jam ſingulorum Myſticas rationes pari pacto explicemus. Supremo ſiquidem *Archetypo Numini* pro conſervatione corporum, & in ſuperiorem Zonam poſt palingeneſiam peractam evehendorum ſupplicaturi: id magna cura & magnis ſubmiſſionis actibus præſtabant. Uti enim *Deum*, ob Divinitatis ſuæ inacceſſam lucem incorporeum, immenſum, & incomprehenſibilem credebant, ita quoque eam quibuſcunque poterant modis occultis, & quam abdititiſſimis ſymbolis exprimere ſolebant. Ut in ſequenti exemplo, *Deum* tribus proprietatibus ſub unitate Naturæ contentis expreſſuri, authore *Hermete*, Globum pingebant alatum, ſerpente fœtum; quod *ſymbolum* tam in *Obeliſcis*, quàm ſimulacris Deorum; aliiſque monumentis primo loco ponebant. Vide *Obeliſcum Pamphilium* & *Tabulam Bembinam*, ubi plus quam



trigeſies expreſſum videbis, uti & in *Cahirinæ Mumia*, ſimili veſtigio exhibita vides. Et per Globum quidem, uti per omnia alia Circularia Divinam naturam, utpote finis & principii expertem; per Serpentem, Vitam in omnia entium membra, entiumque ordinem diffuſam; per Alas vero, Velocitatem omnium penetrativam, quam & Spiritum mundi dicebant. Quæ omnia innumeris authoritatibus, tum in *Obeliſco*



Pamphilio, tum in *Tabulæ Bembinæ explicatione* comprobata reperies. In *Mumiâ* vero præſenti, eadem *Hieroglyphicis* expreſſa conſpiciuntur, ubi vides in A, Circulum Divini numinis notam: deinde in latere B, Brachium cum extenſa manu, notat Beneficam *Dei* naturam, quam veluti



Agathodæmon, in omnes Mundi partes derivat: *Agathodæmonem* vero hæc nota A in C, deſignat ex duabus literis Copticis A & Δ compoſita, eſtque ſymbolum ubique in *Obeliſcis*, manibuſque Idolorum obvium, ut *Oedipum* legenti patebit. Deinde ſequitur Sceptrum in O, Canino capite inſignitum; quo Numini ac rerum omnium, fidei ſuæ commiſſarum Dominium & Vigilantiam notabant; quod intra Semicirculum ponebant, quo inferiorem Mundum concavum, cui invigilabat, ſignificabant. Sequitur poſt

Serpens in dextra parte circuli, cum penna accipitris, & clava ſuppoſita. Per Serpentem, uti *paulo ante* dixi, Vitam, quam omnibus præbet, per Pennam accipitrinam, uti & per Alas, Velocitatem influxivam, per Clavam *Typhoniæ* malignitatis in humana natura abactionem notabant. Atque hiſce & innumeris aliis modis occulta Numinis myſteria adumbrabant, quibus nihil *Deo* gratiùs acceptiusque, & ad quodlibet præterea obtinendum efficacius eſſe ſibi perſuadebant. Ne vero hæc ficta eſſe quis cavillari poſſit, hoc Triformi ſymbolo triforme Numen, etſi ſub umbratili quadam ratione, priſcos *Ægyptios* effinxiſſe, *ſequentibus* comprobanda cenſui.

Triformem Deum Ægyptii cognoverunt.

Ægyptios Triunum rerum omnium Principium credidiſſe, quod & Triforme Numen vocant, è *Suida* paſſim oſtendimus, quod & Globo alato, Serpente fœto *Hieroglyphικῶς* exprimebant. Hoc dogma omnes fere Pythagoricæ & Platonicæ Scholæ ſectatores amplexati ſunt. Quomodo autem Triunum in Uno cognoverint, aperiam.

Ex *Hermeticis fragmentis* colligitur, à Principio, ab Uno, à *Deo* facta eſſe omnia, ſine principio enim factum eſſe nihil; Principium autem ex nullo, niſi ex ſeipſo; at Principium, ut demonſtratum eſt, unum ipſum, unum quoque & μονὰς, apud eundem Hermetem idem ſunt; ἡ γὰρ μονὰς πάντων ἀρχὴ, καὶ ῥίζα, ἐν πᾶσιν ἐστι, *Eſt enim* monas *omnium principium, & radix in omnibus exiſtens. Monas* ergo cum principium ſit, omnem numerum continet, à nullo contenta, omnem numerum generat, à nullo alio numero genita. Unde non ſine ratione ab Hermete μονὰς πατρικὴ, *Monas paterna* dicitur. Si paterna eſt, ergo generat; at quid? id nimirum, quod poſt ipſum primum eſt natura, Duo videlicet. Duo ergo ante omnia generat *Monas*; Ταναὴ ἐστι μονὰς, ἣ δύο γεννᾷ, *protenſa eſt* Monas, *quæ duo* generat, dicit *Zoroaſter*; quam & *Dyadem* nominat apud Patrem ſedentem, δυὰς γὰρ παρὰ τῷ κάθηται, Dyas *vero apud hunc ſedet. Monas* itaque *Dyadi* juncta *Triadem* conſtituit, quam ubique fulgere docet, παντὶ γὰρ ἐν κόσμῳ λάμπει τριάς, ἧς μονὰς ἀρχὴ, *toto enim mundo* Trias *fulget, cujus* Monas *princeps eſt.* Tota autem hæc *Monas*, juxta eos in Tria principia evadit, quia tria hæc unum principium ſunt: quæ mundo dominantur, ut omnia eis ſerviant: ἀρχαῖς γὰρ τρισὶ ταῖσδε λάβοις δουλεύειν ἅπαντα, *tribus enim hiſce principiis accipias, ſervire omnia.* Hinc *Monadem* illam ſæpe Patrem vocat & primum principium, ſecundum vero πατρικὸν νόον αὐτογένεθλον, *paternam mentem ſeipſa genitam*, id eſt, potentiam Patris, ut nominat his verbis, οὐδὲ ἐν τῇ δυνάμει κλείσας ἴδιον πῦρ, *Neque in ſua potentia clauſit proprium ignem.* Tertium vero principium Mentem ſecundam vocat, πάντα γὰρ ἐξετέλεσε πατὴρ, καὶ νῷ παρέδωκε δευτέρῳ, *Omnia perfecit pater, & Menti tradidit ſecundæ.* Mentem vocat ſecundam, quia illa αὐτογένεθλος per ſe & ex ſe genita eſt prima, eſtque terminus Fundi paterni, ita tamen ut maneat in Fundo paterno, μήτε προῆλθεν, ἀλλ' ἔμμονον ἐν τῷ πατρικῷ βυθῷ. Hanc præterea, αὐτουργὸν καὶ τοῦ πυρίου τεχνίτην κόσμου, καὶ τοῦ νόου νόον, *Ex ſe ipſa operantem, & Mundi ignei artificem, Mentem mentis*, vocat. *Triſmegiſtus* vero πάντων τὸν κύριον, καὶ θεὸν, τὸν πηγὴν, τὸν δύναμιν, καὶ νόον, καὶ πνεῦμα, vocat, & in Unitate Trinum his verbis aſſerit: Una ſola lux fuit, intellectualis ante lucem intellectualem, & fuit ſemper Mens mentis lucida, & nihil aliud fuit hujus Unio quam Spiritus omnia connectens, ſemper in ſe exiſtens, ἀεὶ τῷ ἑαυτοῦ νῷ καὶ φωτὶ, καὶ πνεύματι πάντα περιέχων, *Semper ſua mente, & luce & ſpiritu cuncta continens.* Ubi ſane per Mentem, Lucem, Spiritum nihil aliud innuere videtur,

Monas numerorum principium & radix ipſorum.

Dyadem generat Monas.

Zoroaſter.

Zoroaſtri de Trinitate ſententia.

Triſmegiſti de Trinitate ſententia.

tur, niſi Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; Et hoc ita cum ſentire expreſſe docet *citato loco.* Ex Mente, inquit, prima lucidum Verbum Filius *Dei*, idem cum Patre, ὐ γὰρ διΐςανται ἀπ' ἀλλήλων, ἕνωσις γὰρ τύτων ἡ βίωσις. *Neque enim diſtant à ſe invicem, ſed unio eorum eſt vita.* Et alibi quoque eam τῷ δημιυργῷ ὁμουσιον, id eſt Patri conſubſtantialem dixit; Mentem vero cum Verbo ſeptem condidiſſe, ait, Rectores, qui ſenſibilem Mundum Circulis continent: Ὁ γὰρ λόγος ὁ ἐξ αὐτοῦ προελθὼν παντέλειος ὢν καὶ γόνιμος, καὶ γονοείσῃ φύσει ἐμπεσὼν τὸ γόνιμον ὕδωρ ἔγκυον ἐποίησε. *Verbum enim ex eo procedens perfectiſſimum exiſtens, in fœcundam naturam decidens, generativam aquam gravidam fecit.* Τὸν πάντα κόσμον ἐποίησεν ὁ δημιυργὸς ὁ πατὴρ, ὐ χερσὶν ἀλλὰ λόγῳ. *Univerſum fecit Mundum Conditor Pater, non manibus ſed Verbo.* Atque hæc ſunt vetuſtiſſima omnium Sacræ Theologiæ dogmata, à *Zoroaſtre* & *Hermete* (quos nos tamen in *Obeliſco Pamfilio* confudimus) Mundo primævo propalata, ut proinde hanc doctrinam non immerito *Proclus* θεοπαράδοτον, καὶ θεόδοτον, à *Deo* traditam & datam aſſerat. Hanc *SS. Patres* nullo non tempore veluti ab hominibus Divino Spiritu afflatis eructatam admirati ſunt; *Orpheus* deinde hujus doctrinæ illuſtratus ſplendore, & is Triadem hanc agnovit, quam *Phaneram*, *Uranum*, *Cronum*, Unum Numen Tribus diſtinctum Nominibus aſſerit: *Plato* vero Tres Reges appellavit: & Theologia Ægyptiaca, à *Platone* oretenus tradita, ab *Ariſtotele* propalata, his verbis dicta confirmat: *Ideo nos aſſerimus, quod* Deus *creavit Intellectum primum, & conſtituit eum Procreatorem aliarum rerum; creavit autem eum medio Verbo; quomodo? neque enim inter* Deum *& Intellectum aliud medium intercedit niſi Verbum, quod & fuit coagens Intellectus.* Atque ex hiſce *Authoribus* plerique *Platonici* ſequentium ſcientiarum ſuorum de Tribus principiis Tractatuum occaſionem ſumpſerunt: Uti *Porphyrius*, *Plotinus*, *Iamblichus*, *Proclus*, *Syrianus*, & *Damaſcius*; in quibus tametſi inter ſe in Tribus hiſce principiis diſſenſerunt, omnes tamen in hoc conſenſiſſe videntur, quod hæc Tria rerum omnium, & Mundi totius facerent principia ſeu Tres ſubſtantias Conditrices.

Triſmegiſti de Mundi Creatione ſententia.

Proclus.

Orphei & Platonis de Trinitate ſententia.

Ariſtoteles.

Platonicorum de Trinitate ſententia.

Sed quomodo primi iſti, *Theoſophi* ad eam ingenii illuſtrationem provecti fuerint, merito cuipiam mirum videri poſſet. Verùm qui Noſtra paſſim in *hoc Opere* tradita legerit, is facile à concepto dubio liberabitur. Cum enim *Hermetem* è Cananæa ſtirpe, & *Abrahamo* σύγχρονον paſſim demonſtraverimus, fieri non potuit, quin multa curioſum & omniſcium Ingenium, ab iis de vera & recta Theologia, quam oretenus à Protoplaſto profectam, & continua ſucceſſione, uſque ad *Noëmum* derivatam habebant (inter quæ Divinæ revelationis ſacramenta non infimum erat, Sacroſanctæ Triadis Myſterium) expiſcatum fuerit: quæ deinde variis Symbolorum involucris veſtita, poſteris tradiderit. Trinum hoc Sacroſanctæ Triadis Numen, omnes veteres *Philoſophi* inſuperabilem, incomprehenſibilem, ſemper & ubique exiſtentem, æternam, infinitam Potentiam & Mentem dixerunt, *Ægyptios* ſecuti. Inſuperabilis Potentia eſt, quia infinita virtute pollet, ideoque comprehendi non poteſt. Ubique & ſemper exiſtit, qui omnia implet infinita ſua exiſtentia. Hinc *Orpheus*, Qui omnes Mundi partes contines, generationis expers; & *Virgilius*, *Iovis* omnia plena. Cum itaque omnia vi ſua impleat, omnibusque inſit, vitam motumque præbendo ſingulis Mundi corporibus; hinc non ſine ratione *Dionyſius* eundem κόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, καὶ ὑπερούσιον, *Mundanum*, *circamundanum*, *ſupramundanum*, *ſupercœleſtem*, *& ſuperſubſtantialem*, vocat; quem & Aſtrum, Solem, Ignem,

Trinum Sanctæ Triadis Numen quale ſecundum Ægyptios.

Dionyſius Areopagita.

Aquam, Spiritum, Rorem, Nubem, Lapidem, Omnia exiſtentia, & nihil exiſtentium appellat, qui ſeipſo omnia implens, omnia circumſonare facit.

Quod idem & *Ægyptii* ſenſerunt. Et ne quid occultioris venerationis deeſſe videretur, vel ipſas Statuas Numinum Tutelarium, reconditiſſimo Symbolorum ornatu adornabant, uti in duobus Simulacris B B *paulo ſupra* expoſui. Velo *Iſidi* ſacro Caput, ne quicquam nudi capitis capillorumque, quæ non niſi ſuperflua humani corporis excrementa ſunt, teſte *Porphyrio*, ideoque conſpectu Numinis indigna rebantur, compareret, velabant; ſaſcia qua *Oſiridis* corpus ligatum credebant, ſtrictim cingebant: Cæterum toto corpore nudæ, vel ſaltem uti *ſupra* diximus, ex lino tenuiſſimo contexto induſio ſine ruga veſtitæ, ſub ſitu ingeniculationis ſpectantur: Quo habitu Myſtico ad quod petebant adquirendum, nihil gratius, & ad *Deum* ligandum efficacius eſſe poſſe ſibi imaginabantur. Symbolum Altaris in capite geſtant, quo Divini Numinis cultum occulte adumbrabant, & quo in *Hieroglyphicis* nil magis obvium; id ſupra caput ponebant, ut juxta Divini Numinis Intellectuales notiones, Sacra debere fieri innuerent; manu in altum unoque digito extenſo, ſilentii nota, quo neque ſacra, neque *Dei* Nomen publicari debere notabant; quin vel ipſe *Pythagoras* aſſiduus *Ægyptiorum* ſectator, & *Plato in ſecunda Epiſtola ad Dionyſium* expreſſe de non vulgandis ſacris Divinarum rerum cultores monet; qua de re mox ipſa *Platonis* verba adferam.

Porph. de Abſtin.

Cur Numina velo, cingulo, & ſub ingeniculationis ſitu ſpectentur.

Quid Altaris figura quod capite geſtant.

Conſiſtit autem hæc animorum purgatio non ſolum in vitiorum ab animis expulſione, verum etiam in convenienti Myſteriorum taciturnitate. Secreta enim Philoſophiæ non omnibus ſunt divulganda. Vulgarium etenim animarum oculi nequeunt radios Divinitatis ſufferre, ut dicebat *Meliſſus*. Ob id *Pythagoras* æque impios & injuſtos putabat, qui Sapientiæ dona eis, qui ne per ſomnium quidem mundati purgatique eſſent animis, communia feciſſent; illos quoque qui *Eleuſinæ Deæ* myſteria profanis expoſuiſſent. Non enim fas eſt quibusvis offerre, quæ tantis laboribus comparata ſervantur. Quod & *Chriſtus* Dominus docuit dicens, *Non eſſe dandum ſanctum canibus, nec projiciendas margaritas ante porcos*, Matthæi 7. Hanc ob cauſam *Hipparchum* Pythagoricum ferunt accuſatum & expulſum ex Schola, & propter ipſum tanquam propter mortuum *Diis* factam eſſe Columnam, quod aperte ſcripſiſſet decreta *Pythagoræ*, quæ ipſe ſemper celaverat, ut teſtis eſt *Clemens lib.* 5 *Stromatum*, & *Nazianzenus in Epiſtola ad Niſſenum*, nec non *Cantherus lib. primo Variarum Lectionum*, *cap.* 12. Quin etiam & Plato in Epiſtola ſecunda ad Dionyſium idem aſſeverat, quo in loco de non vulganda omnibus ſapientia, & de habenda animi purgatione luculenter diſſerit: Ait enim *Inveſtigationem Divinorum non recte factam*, *id eſt, non debitis tum purgationis, tum diſciplinarum gradibus inſtructam, malorum omnium eſſe cauſam; quod videlicet qui ſic inveſtigant* Deum, *tandem eo perveniant, ut vel negent* Deum *eſſe, vel de eo affirment quæ non ſunt* Dei. Sic ille. Hac de cauſa *Pythagoras*, quem *Plato* in omnibus veneratur, *ſacra doctrinarum Myſteria ab exactiſſima Mentis expiatione exordiebatur*, & *Plato* ſimiliter præcipit, *ne arcana efferantur in vulgum, ne Vulgus accepta perverſe vel contemnat, vel incidat in errores.* Arcana autem Deitatis tutius *ibidem* cenſet verbis committenda quam literis, literæ namque cuivis communia faciunt. Quibus verbis *Plato* antiquam *Iudæorum* conſuetudinem ſecutus videtur, qui Myſticum Legis ſenſum ab ipſo *Deo* per *Moyſem* non tam literis traditum, quam animis commendatum aſſeverant. *Pythagorici* certe id obſervabant, & *Pythagoras* ipſe publicè vetuit Philoſophari, ut Author eſt *Lyſias in Epiſtola ad Hipparchum*. Quinimo *Damæ* filiæ ſuæ propoſitis monumentis, ea cuipiam extra familiam tradere vetuit.

Animi purgatio in quo conſiſtat.

Meliſſus. Pythagoras.

Myſteria *Divina ſunt celanda.*

Clemens. Nazianzenus. Cantherus.

Plato.

Illa

Illa vero cum multis pecuniis vendere hujuscemodi libros poſſet, noluit, ſed egeſtatem & parentis mandatum auro potius eſſe & antiquius judicavit. Ajunt autem eandem morituram *Biſtaliæ* filiæ ſuæ hoc idem præceptum dediſſe; atque id omne, ne *Deitatis Myſteria* omnibus communia fierent. Quin vel ipſi Sacerdotes Hieromyſtæ ſeu ſacrorum rituum præſides ſacris inſtituti cærimoniis, eodem prorſus habitu, eadem ratione & modo ſua Sacra inſtituebant. Lege quæ de hiſce ſingulis quam uberrime tradidimus in 3. *Tomo Oedipi, Syntagmate de Theologia Ægyptiorum, & in primo Tomo de Origine ſuperſtitionis Ægyptiacæ, Syntag.* 3. Nec non in *ultima Oedipi anacephalæoſi*, aliisque innumeris locis quam diffuſiſſime de talibus egimus. Porro ante ſe Columnas habebant *Hieroglyphicas* prænotatas; quibus Symbolis ad Divinum Numen analogis, non literali ſed Ideali ſenſu, *Deum* ſollicitari arbitrabantur. de quarum expoſitione in *ſequentibus*.

CAPUT IV.

Interpretatio Simulacrorum *quæ* Mumiæ *aſſutæ adſcribuntur.*

DIxi ſupremum Numen *Hempta*, quem *Plutarchus Emet* corrupte dicit, varios ſecum tenere in Mundana Oeconomia adminiſtranda Aſſeclas, atque ex hiſce, hos quatuor præcipuos veluti Conſiliarios, quos *Græci* Genios, *Ægyptii*, Hemphtæi Numinis Stipatores, & ad mandata ejus exequenda promptiſſimos Nuncios vocant; quorum *primus Horus*, ſub Pueri forma, Mundi ſenſibilis geniale Numen notat, & ſignatur litera E. *Secundus* literâ F ſignatus *κυνοπϱόσωπ*ος, Caninâ facie conſpicuus, vigilantiſſimum Anubicæ ſeu Hermeticæ, quem *Anubin* vocant, Oeconomiæ præſidem refert. *Tertius* ſub vultu Accipitrino, quem *Thauſtum* vocant, Cornu pariter *Hammonis* inſignitus; quo Solarem calorem, & inde in Mundo inferiori fœcunditatem notabant. *Quartum* Leonino vultu formidabile, *Momphta*, id eſt, Hylæi Mundi ſeu totius Humidæ naturæ præſidem notat. Humida quidem Natura per hydroſchema ſignabatur, cujus hoc *Hieroglyphicum* ≈≈ ex fluxu Aquæ indigitatum, & in omnibus *Hieroglyphicis* nil eo frequentius cernitur.

Atque hæc ſunt præcipua Numinis ſupremi Archetypi Aſſeclæ, quorum Schemata in 4. lateribus *Obeliſcorum* inſerebant Symbolis *paulo poſt* explicandis; Hæc in omnibus monumentis paſſim obvia ſpectantur; hæc *Mumiarum* Involucris aſſuebantur, quemadmodum videre eſt tum in hoc præſenti *Mumiæ* hierogrammatiſmo, tum in aliis *Mumiis paulo poſt* adducendis. Atque hæc Numina circumpoſita *Mumiis*, cenſebantur eſſe potentia ad conſervanda Corpora contra omnem *Typhoniæ* poteſtatis violentiam remedia. Sicuti igitur in præſenti *Mumia* aſſuta vel depicta cernuntur; ita in aliis quoque ex *Ægypto* in *Europam* à diverſis ad me allatis *Mumiis*, ſignatis literis F G, F G figuris fol. ...., hæc eadem *Hieroglyphica* paucis immutatis obviam fiunt. Deinde in *figura* hic appoſita eoſdem Supremi Numinis Aſſeclas, non tamen reticulato habitu, ſub figura Humana, Canina, Accipitrina & Leonina una cum Globo alato, Divini Numinis ſymbolo, in Adyto quodam conſpicies; & *infra Figura* III. Ritus & Cærimoniæ, quibus ad Numina attrahenda in Adytis utebantur, luculenter apparent. Vides eoſdem qua-

tuor Genios *Horum*, *Anubim*, *Oſirim*, & *Mophta* ſupplicantes Numini Supremo, per Alatos globos indicatos, & in medio quoque eundem *Horum* Cidari in capite veſtitum, manibus Lituo & Scutica inſtructum, quibus veluti Averruncativis *ſymbolis Typhonia* vis adverſa conſiſtere non poterat, Supremi Numinis timore perculſa. Sequitur deinde *Adytum*, undique & undique ſolito *Hieroglyphicorum* ornatu conſpicuum: in quo Sacra ſua peragebant Sacerdotes, linea veſte induti, *Oſiri* & *Iſi*, illi Tutulo, huic Serpentifero globo conſpicuis, ſubtili habitu corporis ab omni ſuperfluitate liberi. Quæ omnia proſecuti ſumus in *Oedipi variis locis*. Verum cum ſingulorum horum Numinum habitum Myſticum jam in *præcedentibus* expoſuerim, hic iis non immorabor. Vide paulo ante allegatam *Mumiam* A fol. in capſula medicati corporis, olim ex *Hollandia* ad me miſſam: in qua è regione G F reperies eadem Numina, partim ſub forma genuflexorum, partim recto ſitu ſtantium: in cujus pectore, uti in *Gallicanæ*, varii Circulorum ſeu Zonarum ordines cernuntur, quibus Cœleſtes Zonæ indigitabantur, uti diximus. Hæc eadem in ſequentis *Mumiæ Schematiſmo* olim à Magno *Etruriæ* Duce ad me transmiſſo reperiuntur. Sed ut hæc melius intelligantur, Myſteria ſub iis abſcondita pandam.

Adytorum Ornatus.

Sacerdotum linea veſtes.

Nota hic Lector duo conſiderari poſſe in *Mumiarum* conſtitutione, *primò* Thecas ſeu Capſas, quibus Corpora variis *Hieroglyphicis* inſignita reponebantur: *Deinde* ipſam *Mumiarum* multiplici faſciarum involucro veſtitarum Subſtantiam: hæc uti omni *Hieroglyphico* apparatu deſtituta, ita interior tum Capſarum, tum *Mumiarum* Ornatus ſolus *hieroglyphicis* ſplendeſcit. *Prior* Capſula ſcilicet exteriora involutæ *Mumiæ* ornamenta colorum refert: Nam, ut *ſupra* ex *Diodoro* probatum fuit, ſingulis defunctis Capſula parabatur, pro qualitate & conditione hominum minoris vel majoris pretii, quæ ſemper aut Numi-

Mumiarum *Thecæ ſive Capſæ* Hieroglyphicis *ornatæ*.

TAB. IV



Fig: III



Fig: IV

nis, cujus cuſtodiæ tradebatur, effigiem referebat, uti in primo *Figuræ præſentis* Schematiſmo patet. Ubi vides Fœminæ imaginem velo polymito, & vario ſtriarum ordine veluti Phrygio quodam opere contexto ſpectabilem, cujus pectus variis Circularibus limbis viſendum; infra quos figura Fœminea extenſis brachiis, cujus manus utraque Penna inſtructa eſt; ſequitur deinde trinus Alarum ordo; reliquum corpus turbinato ductu in varias Zonas reticulato opere, & proportionata diminutione diſtributum, abit: in cujus medio Columnarum diſcrimen *Hieroglyphicis ſymbolis* refertum deſcendit, & altrinſecus F & G eadem ſupradicta ſex Numinum Schemata ponuntur. Sed quidnam tam myſticus Apparatus ſibi velit exponamus.

Hieroglyphica Mumiarum *Tabula* II. *Nardreana.*

Figura fœminæ *Iſidem* refert, unà cum



cum *Apotropæis* Numinibus, uti *Peplum* variegatum, ſine quo nunquam cernitur, ſat ſuperque demonſtrat. *Septem limbi* Circulares, quibus pectus ornatur, ſeptem Orbitas ſeu Zonas cœleſtes notant, in quarum receptacula animam migraturam putabant. Ultimus Limbus plenus eſt *phallis* oculatis, & notat Cœleſte firmamentum geneticarum rationum Ideis refertum, quas per reliquos Orbes uſque ad Terram, quæ per *Circellum* apte notatur, transmittit. Totum Corpus *reticulato* amictu, & *turbinato* ductu verſus Inferiora deſcendit; quo indicatur, Naturam occultis & ſubtilibus rationibus veluti implicari, & perplexam reddi inacceſſamque. Figura verò infra limbos conſtituta *Iyngem*, cujus *Iſis* miniſtra eſt, ſive *Fundum paternum* ex tribus Triadibus compoſitum notat: quæ quidem apte per *trium Alarum* ordinem, id eſt, diverſos Intelligentiarum choros (uti in *Theologia Ægyptiorum* docuimus) ſignatur, quibus univerſum Mundum adminiſtrat.

Iyngis miniſtra Iſis.

Fundum Paternum.

Brachiis extenſis cum reliquo corpore *Crucem* exprimit, qua in omnia Mundi membra Influxus ſignificatur; *Pennam* utraque manu tenet, ad Celeritatem operationum oſtendendam; *Vbere* tumet, quia Genitalibus principiis fœta eſt; *Sedet*, quia Dominium in omnia habet; *Circulum* in capite geſtat, quia Divinorum maximum; *Iſidis* pectori inſidet, quia in Natura rerum, quæ *Iſis* eſt, maximè ſe ſpectandam præbet. Infra hanc intra tres Zonas ſex *Averrunca Numina* ponuntur, quorum cuſtodiæ ac Tutelæ corpus commiſſum eſt, uti *laquei*, quos manibus tenent, quibus adverſarum Poteſtatum vim *ligare* dicuntur, monſtrant. Quorum prius ſub forma pueri *Horum* notat, ſecundum ſub forma Canina *Anubim*, tertium ingeniculatum, *Nempum*; quartum Cynocephalum, ſive *Iſin* Lunarem ſub forma Cercopitheci refert; quintum ſub forma Accipitris, *Oſirin*; ſextum pariter ingeniculatum *Arverin* ſignificat. Atque hæc ſunt Numina, quæ Animarum per Zonas traductionem perficiunt; ut proinde in omnibus fere *Mumiis* ea de cauſa depicta cernantur. Hiſce enim *Symbolis* ea defunctis propitia reddi, & ad tuenda corpora quadantenus anxiè allici exiſtimabant. Limbus vero *Hieroglyphicis* intermediis *Hymnos* ſeu *Adjurationem* continet, quibus ad Corporum tutelam dicta Numina compellere ſe poſſe credebant; quæ hic

Nephte.

hic libenter ſymbolatim explicarem, ſi fideliter eſſent inciſa; verum cum hæc in *ſequentibus* diſtinctius exhibituri ſimus, eo Lectorem remittimus.

Alteram formam Operculi *ſecunda* Figura Tabulæ exhibet, & eſt Ciſta lignea, *Hieroglyphicis* vacua, niſi quod Fœmineum vultum cum velato capite monſtret; intra quam ponebatur faſciis involutum cadaver, conditumque uti in *Figuris ſupra* poſitis patet.

Sed jam quid Myſticus hic habitus



Horus diſſert quis. ſignificet, oſtendamus. *Prima* Figura ſignata litera E, ſub Humana forma *Horum* notat, *Oſiridis* filium; myſtice, Senſibilis Mundi geniale Numen. Sub *pueri* forma pingitur, quia Mundus perpetuis alterationibus, generationibus & corruptionibus obnoxius quotidie & quotannis quadantenus renaſcitur ac rejuveneſcit. Quid *Zonæ*, quid *Reticulatus* habitus, quo involvitur, ſibi velint, jam dictum fuit. Nota vero ſub mento exiſtens *Perſeæ folium* eſt, quod, teſte *Horo*, Linguam ob ſimilitudinem Horus. notat, & linguam foras extenſam ex imo cordis (cujus *Perſeæ fructus* ſymbolum eſt) per guttur propagatam occulte ſignificat: quo innuebant Numen in Oraculorum conſultatione, ad reſponſa quærentibus danda promptum: & fere ſemper *Apotropæus Geniis* appicta vide-

videtur. Cum enim Numen Supremum lingua non utatur materiali, eandem in Simulacris, quæ à Diis per magicos attractus animari videbantur, exertam finxere; quæ omnia pulchre deſcripta habentur apud *Hieronym. Alexandr. in Tabulæ Heliacæ expoſitione.*

Hieron. Alexand.

Secundum Schema F Numen κυνόμορφον, id eſt, Canino capite expreſſum, denotat *Anubin*, ſeu *Mercuriale Numen*, quem præter inventionem rerum, cuſtodem quoque *Muniarum* ſive animarum ad feliciorem cœleſtium Zonarum, quæ per *Circulos* ſigillis ſignatos notabantur, vitam poſſidendam Ductorem cenſebant: quæ ſane pulchre exprimuntur *Oedipi Tomo* III, in *Tabula Bembina* ſeu *Menſa Iſiaca*, auctoritate *Macrobii*: ubi litera D *Canis ſedentis* figuram *cum ſiſtro* exprimit: qui quidem eo loco nihil aliud notat, quam Horizontis lumine Solari deſtituti, ſive *Portæ* magnæ *Occiduæ* Cuſtodem. Adſtipulatur hiſce Plutarchus lib. de Oſir. & Iſide: *Circulus*, inquit, *finiens*, *quem Horizontem vocant*, Anubis *eſt*: *& non immerito* Cani *comparatur*, *eò quod Cœlo Terraque polleat*: *& in hac ſignificatione eandem apud* Ægyptios *vim habere videtur* Anubis, *quam apud* Græcos Hecate. *Siſtrum* impoſitum habet, *Typhoniæ* malignitatis ſive ἀνλυθέȣ Dæmonis, quem ſonitus *Siſtri* profligare dicitur, *ſymbolum*, uti *alibi* ample expoſitum fuit; hujus enim vigilantia *Horus Sol*, id eſt, Harmonia & εὐκρασία Mundi ſenſibilis (quam Figura E in *Oedipo loco* paulo ante *allegato* exprimit, & patet idem ex *ſupra* dictis) in ſuæ perfectionis ſtatu conſervatur.

Macrobius.



Canis ſedentis figura.

Plutarchus.

Anubis apud Ægyptios idem quod Hecate apud Græcos.

Quæ eadem exprimit in *Tabula* illa *Bembina Anubis* ἀνδροκυνόμορφος, *Canina facie* transformatus, qui *manibus* pendulis *efficaciter* contractis, in capite *Globum* cum *Serpente* ex eo emergente & *pennâ Ibidis* eidem ſuperpoſita, geſtans, *Portæ Occiduæ* adſtat: quæ quidem nihil aliud, quam *Anubidis* in utriusque Horizontis confinio, Vigilantiam notant, ex cujus efficaci operatione, inferioris Mundi Oeconomia conſervatur, & *Typhon* in abſentia *Solis* omnia maligna attentans, id eſt, Crocodilea *Typhonis* vis *Ibidis pennâ* veluti ſideratur & extinguitur. Hanc ob cauſam *Ægyptii*, *Horo* teſte, foribus templorum ſimulacra *Anubidis*, veluti Sacrorum, Deorumque *Oſiridis* & *Iſidis* Cuſtodis, admovebant. Vide quam aptè id in *citata Tabula*, figura *Anubidis* Cynocephali, Aræ ſeu columnæ impoſiti, & ad *Magnam* Occidui *Solis* portam veluti vigilantis, Typus exprimat: ut hinc proinde ſuam ille Hecatinus *Cerberus* apud *Græcos* & *Chaldæos*, originem invenerit.

Horus.

Sequitur 3. Schema H ſimili prioribus habitu veſtitum, niſi quod capite ἱερακόμορφον exprimat, id eſt, *Accipitrinum* roſtrum exhibeat, cenſeturque eſſe Solare Numen, uno *Hammonis cornu* conſpicuum, quo Solaris caloris vis in hylæo Mundo fœcunditatem notant. Nam, teſte Herme apud Euſebium, ὁ Θεὸς τὴν κεφαλὴν τοῦ ἱέρακος ἔχει, Deus *caput Accipitris habet.* Verum cum hæc omnia innumeris locis in *Oedipo* expoſita ſint, ad illa Lectorem remittimus.


Triſmegiſtus. Euſebius.

Sequitur *quartum* Schema G λεοντόμορφον *Leonino capite* inſigne Numen, quod *Ægyptii* à dominio humidæ naturæ, *Mophta* vocant; Myſtæ quoque *Canub*, id eſt *Canopum* Ægyptiacâ linguâ indigitant.

In urbe Canopo *Oraculum fuiſſe celeberrimum* Pauſanias *refert*, *ad quod undique confluebant de rebus futuris conſulturi* Ægyptii, & de *Canopo* Plutarchus, καὶ ὁ Ποντικὸς Ἡράκλειτος τὸ χρηστήριον ἐν Κανώπῳ Πλούτωνος ἡγούμενος εἶναι, id eſt, *Et* Ponticus Heraclitus *Oraculum in* Canopo Plutonis *fuiſſe exiſtimat. Plutonem* autem *Græcorum* cum *Serapide Ægyptiorum* paſſim confundi, multis jam locis dictum fuit. *Serapidem* autem & *Canubum* eundem eſſe inde patet, quod quem *Ægyptii* communi voce *Serapim*, cum Sacerdotes & Myſtæ arcano

Oraculum in Vrbe Canopo Ægypti. Pauſanias. Plutarchus.

Serapis & Canub idem.



cano nomine ⲕⲁⲛⲱⲃ dicunt, quaſi diceres, *Subterraneum aquarum Numen.* Et quoniam *Aqua* Igneis ſpiritibus ſeclufis vim fœcundativam obtinere non poteſt; hinc dictum Numen Igneo cultu proſequebantur, uti ex Statua in *iconiſmo Canoporum ultimo Tomo Oedipi, Syntag. de Canopis,* ſatis apparet, quæ Pileum in *Cucurbitæ* formam adaptatum portat, ſignum Humoris abundantiæ, cui præeſt: præterea *amictu ſimplici* & nullis rugarum plicis aſperató induitur, quo Simplicis Elementi ratio exprimitur. Manu dextra *flammam* eventilare videtur, quo Ignea portio, quæ Aquis Numinis beneficio inſeritur notatur, utpote ſine qua rerum generatio effectum ſuum non ſortiatur. Cultum vero Igneum eidem exhibendum *lucerna* appoſita notat; Univerſum vero ſua virtute Calido-humidâ ad vitam rebus omnibus concedendam pervadere, *hexagona figura* Abaci impreſſa lateribus abunde docet, quod Univerſi Elementaris *ſymbolum* eſſe in *Arithmetica* oſtendimus: & confirmat quod Oraculum *Serapidis* de ſeipſo dicit, teſte Opſopœo ſol. 69 in lib. de Oraculis: Opſopœus.

Σφαιδρὴ μὲν κατὰ δῶμα Θεοῦ καταλάμπεται αὐγή·

Ἠλθε

Ἦλθε γὰρ, ἐπεβόλησε μέγας Θεὸς, εἶδεν ἐμεῖο
Κάρτος ἀμαιμάκετον, λαμπηδόνα φλογμοτύραννον,
Βόστρυχον ἐκ κεφαλῆς νεάτης, χαροποῖσι μετώποις
Ἀμφὶς ἰαινόμενον, πλοχμοῖς θ' ἱεροῖσι φυεὶς.

Clara quidem per domum Dei *ſplendet lux:*
Venit enim, occurrit magnus Deus, *vidit meum*
Robur inexpugnabile, lampadem urentem Tyrannos,
Cincinnum ex capite ſummo, jucundo vultu
Vndique exhilaratum, cirriſque ſacris menti.

Ὕδωρ πολλύγονον κόλπους γαίας διαπείρων,
Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος,
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων·
Τουτὶ Θεός· μικρὰ δὲ Θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Aquæ liquor omnigenis ſeminibus refertus, & ſinus terræ penetrans,
Ex ſe ipſo ortus, à nemine doctus, ſine matre, inconcuſſus,
Nomen ne verbo quidem capiendum, in igne habitans:
Hoc Deus *eſt: Modica autem* Dei *portio Angeli nos.*

Canubicum Numen omnium maximum. Suidas.

Canubicum vero *Numen*, teſte *Suida*, omnium Deorum maximum habebatur, eò quòd quæcunque in cætera Æ*gypto* Numina eſſent, in hoc uno exhiberentur; quemadmodum de ſe ipſo loquitur per *Oraculum* teſte Opſopœo in Oraculis Veterum, fol. 7.

Opſopœus.

Ἥλιος, Ὧρος, Ὄσιρις, Ἄναξ, Διόνυσος, Ἀπόλλων,
Ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων δὲ καὶ ὄμβρων·
Ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυάστερος ἡνία νωμῶν,
Ζαφλεγέων ἄστρων βασιλεὺς, ἠδ' ἀθάνατον πῦρ.

Ego Sol, Horus, Oſiris, *Rex*, Bacchus, Apollo,
Tempeſtatum & temporum promus, ventorum & imbrium:
Auroræ *& noctis multum ſtellatæ habenas regens,*
Valde flammantium aſtrorum rex, & immortalis ignis.

Hæc itaque ſunt quatuor præcipua Æ*gypti* Numina, ſingula *Velo ſacro* & *reticulato* habitu ſine ullius *exititii* membri expreſſione veluti involuta: notant latentis Divinitatis abditam & inacceſſam naturam, uti in *præcedentibus* diximus. Quibus *ſymbolis*, veluti Supremo Numini congruis id ad ipſorum votis obſecundandum fortius allici arbitrabantur. Unde & in Adytis eo ſane modo, quo in *Mumiis* expreſſa ſunt, ea depingebantur, ut *ſequens Schema* docet.

Vides in Adyto trilatero in medio Numen, *lituo* & *ſcutica* inſtructum, cujus Figuram habes *fol. 29 numero* IIII ſignatam ſimili circumſtantium quatuor è lateribus Numinum forma; & ut uno verbo plura concludam ἀνδρο-κυνο-ιερακο-λεοντομόρφῳ figura exhibita: quæ prorſus eadem cum *Gallicana Mumia* ſunt: una cum *Globo alato* ſingulis lateribus ſupra inſcripto: ſunt enim, uti *Porphyrius* dicit, veluti excubitores & cuſtodes funeris, & animarum poſt recepta corpora in Zonam illis congruam tranſportatores. Porphyrius.

CAPUT V.

De Cærimoniis, quibus & *Mumias* & Aſſeclas *Mumiarum Statuas*, ad *Oracula* conſtituenda adornabant.

§. I.

De Oraculis *&* Polymantia *ab* Hieromantis *ad attractionem Numinum inventa.*

Mens humana ſemper appetit Summum bonum.

HUmana mens, uti perpetuo deſideriorum æſtu agitatur, ita bonorum quæ deſiderat, perpetua ſpe vivit, & dum ſpirat, ſine intermiſſione ſperat, videlicet *ſummum* aliquod & præſtantiſſimum *bonum*; quod cum extra *Deum Opt. Max.* dari non poſſit, hinc perpetua anxietate, curâ, doloribus, & laboribus involvitur, & veluti *Oceanus* quidam decumanis fluctibus agitatus, in perpetua inquietudine verſatur. Eſt autem *duplex boni ratio*, circa quam omnes hominum machinationes, omnis veluti in cardine quodam volvitur induſtria, *bona* videlicet *corporis* & *animi*. *Bona corporis* ſunt Pulchritudo, perfecta corporis Sanitas, & voluptas; quæ cum vel ſine rerum ad vitam honeſte inſtituendam neceſſariarum poſſeſſione nòn conſervari, vel ſine Divitiis obtineri non poſſint, mirum non eſt, tantam omnium Mortalium *auri famem* eſſe, tantum in divitiis acquirendis ſtudium. Harum enim poſſeſſione mox omnium bonorum ubertate ſe repletum iri confidunt, omnium ærumnarum expertes. Quia tamen & hæc minime hominem ſatiant, hinc *bona animi* corporeis conjuncta deſiderant, cujusmodi ſunt Scientiæ, Honores, Dignitates, Potentia: quæ omnia cum incertos in tam inſtabili fortunæ rota exitus ſortiantur, inde eſt quòd plurimi in impenetrabili futurarum rerum ſuarum ſtatu incerti, & inter ſpem metumque fluctuantes, tanto ſtudio futurorum ſcientiam appetant, ut ex ea videlicet addiſcant, *quid de ſe futurum* ſit, & an de *bonis* illis recenſitis ſolidum quiddam ſibi promittere poſſint.

Bona corporis & bona animi.

Futurorum ſcientiam appetit homo.

Novit id humani generis hoſtis diabolus, & callidus dolorum architectus; qui tam multiplices pedicas pandit, quam multiplices ſunt humanarum machinationum appetitus: ut tandem *ſub ſpe ſcientiæ futurorum* homines adoriatur, adortos irretiat, penitusque ſui juris faciat. Sunt autem *duo* potiſſimum *retia*, *Aſtrologia* & *Polymantia*. Priori *docet ſortem, quam quisque* à primo nativitatis ſuæ puncto *nactus eſt* ad bonam vel iniquam fortunam; poſteriori, veluti ſub quodam naturalium cauſarum velamento, *varias divinationum ſpecies exhibet*, quibus incauti, dum *bonum* proſequi, vitare *malum* inconſultius appetunt, *æterni boni* poſſeſſione merito privantur. Has itaque artes primus in orbem, magiſtro diabolo, introduxit *Cham Noëmides*; quas *Ægyptii* à *Chamo* inſtructi veluti hæreditate quadam traditas in univerſum Mundum transfuderunt. Atque de *Aſtrologia* eorum ample in II. *part. Oedipi* dictum fuit; de *Divinationibus*, earumque Origine, *Oraculorumque* rationibus porro dicendum nobis reſtat.

Aſtrologia & Polymantia *Dæmon homines decipit.*

Cham *primus introduxit* Aſtrologiam & Polymantiam.

Ægyptii itaque, doctore *Mercurio* putabant, præter Deos Cœleſtes, Naturas quaſdam homines inter & illos medias reperiri, quas *Angelos*, *Dæmones*, vel *Genios*

Genios Ægyptii *colebant.*

nios aut *Terrenos Deos* appellabant; quibus omnium *Oraculorum* ortus, & interitus cauſam attribuebant; adeoque *Oracula* tam diu durare, quàm diu dicti *Genii* in *Statuis*, quæ *Oracula* fundebant, morarentur; eademque perire, cùm Simulacra à *Geniis* ſeu *Dæmonibus* deſtituerentur. Hoſce verò *Genios* regionem inter Cœlum & Terram interjectam incolere atque ex herbis, lapidibus, aromatibus, aliiſque terreſtribus materiis vim Divinitatis naturalem in ſe continentibus conſtare aſſerebant; & uti prope nos habitantes, nobis amica cognatione jungi, atque amore ſingulari erga humanum genus affici, ita hominibus prout illorum natura fert, variis diverſiſque modis auxiliari putabantur, ſortibus futura prædicendo, aliaque ad nos pertinentia curando. Quócirca in *Statuas* quoque ab iis ritè inſtructas ingrediebantur, & ex illis reſponſa conſulentibus dabant, multoſque in annos in iis morabantur, tanto libentius quanto *Statuæ* ex materia iis congruentiori factæ eſſent; & quanto eos Sacrificiis, Hymnis, Laudibus & Harmoniis, veluti unicis *Geniorum* illorum illecebris, magis placabant, tantò eos facilius ſibi obſecundaturos credebant.

Geniorum *locus habitationis.*

Genii *Statuas ingrediebantur.*

Triſmegiſtus.

Quæ quidem ita ſe habere, copioſè docet Hermes in Pimandro, cauſamque aſſignat, Cur tanta in *Dæmones Genios*que poteſtate polleat homo, & cur ejus dominio tam facile ſe ſubmittant: *Cum enim*, inquit, *Homo animal ſit venerandum, magnumque Mundi miraculum ex omni naturæ miſcella conſtitutum; cœleſti, terrena, mortali, immortali, Inferioribus Superioribusque junctum ſit; parte quidem quæ ex anima, ſenſu, ſpiritu & ratione conſtat, Divinis; parte quæ ex igne, aëre, aqua, terraque conficitur, Sublunaribus; fit, ut cum ſe ipſum ob eas res quas mortalis portio appetit, cupiditatibus animo à corpore veluti abſtracto ſeparat, veluti in divinam quandam eſſentiam transformatus, vel Cœlitibus præſtantior, vel dignitate par evadat; eamque poteſtatis plenitudinem acquirat, ut quemadmodum* Deus *Cœleſtium Deorum effector eſt: ita* Homo *Deos illos qui terrenis affiguntur habitationibus, efficere poſſit*, Statuas *videlicet animatas ſenſu & ſpiritu plenas, præſciaſque futurorum.* Quæ quidem Mercurius in Pimandro fuſius proſequitur. His ſubjungit quoque, *proavos ſuos perfectam Cœleſtis* Dei *notitiam non habuiſſe; cognito enim* Deo, *Deos terrenos non curaſſent; ſed uti incertos de illo, ita à Divina religione valde aberrantes artem, quâ Deos efficerent excogitaſſe*, Statuas*que extruxiſſe, in eaſque, cum ipſi animas creare non poſſent*, Dæmonum *vel* Angelorum *animas evocaſſe: quæ quidem vocatæ advenerunt, tum quia horum hominum magna vis erat, tum quia* Angeli *&* Dæmones *tantam cognationem cum hominibus habent, ut ad obſequium eorum propriâ naturâ traherentur.* Atque hæc eſt *Mercurii* de *Oraculis* ſententia, quam ex *Pimandro* exceptam paucis explicandam duximus; cætera quæ amplius proſequitur in *citato loco* lector videat: ubi & cauſas deſitionis *Oraculorum* magnis tenebris involutus, impiè explicat.

Genii *afficiebantur hominibus.*

Triſmegiſti *impia doctrina de* Oraculorum *deſitione.*

Nam *Oracula* deſutura pronunciat, quando homines religionis expertes impii evadent; neque enim tunc Idola colent, neque ea fabricabunt, neque in illis animas Dæmonum introducere valebunt; Dæmones verò cum ſe neglectos viderint, ab antiquis etiam *Statuis* decedent. Ubi *Oraculorum* defectum, hominum vitiis & dæmonum indignationi potius quam Divinæ potentiæ adſcribit.

Rectius ſane, tametſi impii, *Porphyrius* & *Plutarchus*; quorum uterque cauſam deſitionis *Oraculorum* in Chriſtianam Religionem conjicit: ille quoque verbis apertis fatetur, Mortales ex quo JESUS colitur, nullam ex Diis utilitatem ſenſiſſe. Non igitur humanæ induſtriæ defectu, aut negligentiâ *Oracula* deſierunt; ſed unigeniti *Filii Dei* in terram adventus unica cauſa fuit, quo depulſa tenebrarum poteſtate, viribuſque quibus humanum genus fallere ſolebant Dæmones, ademptis, æterna Mundo veritas illuxit. Quod & *Pythius Apollo*

Porphyrius. Plutarchus.

Oracula *cur deſierint.*

pollo vel invitus fateri coactus eſt: cum enim, *Nicephoro Calliſto* teſte, is à *Ceſare Auguſto*, Quis in Imperio ſibi ſucceſſurus eſſet, interrogatus diu tacuiſſet, atque iterum iterumque reſpondere ſilentiique cauſam aperire rogaretur, in hæc tandem verba prorupit:

Nicephorus Calliſtus.

Apollinis *reſponſio de* Oraculorum *deſitione.*

> *Me* puer Hebræus *Divos* Deus *ipſe gubernans*
> *Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum:*
> *Aris ergo dehinc tacitus abſcedito noſtris.*

Lactantius Firmianus.

Addit *Lactantius Firmianus*, tantam fuiſſe ſuis temporibus *Crucis* virtutem, ut cum Idololatræ Diis immolare vellent, ſi qui fronte Cruce ſignati adeſſent, nec ſacra litare, nec à Vatibus ullum reſponſum habere valerent.

Sed ut ad inſtitutum revertamur, Erant *Oracula* memorata omnium divinationum & totius ſuperſtitionis radix & fundamentum. Neque enim Dæmon ſemper ſenſibili voce reſponſa dabat, ſed ſignis quibuſdam, quid vellet, aperiebat. Hinc emerſerunt primum rituum & Cærimoniarum variæ ſpecies, quibus ut futurorum conſcii fierent, veluti præviis diſpoſitionibus animum purgare ſolebant: deinde ad vanas obſervantias converſi, omnia pro auguriis habebant obviarum rerum ludibria. Verum explicemus ſingula. In omnibus ferè *Ægypti* Nomis *Oraculum* fuiſſe reperio, à quo reſponſa de variis eventibus acciperent conſulentes: neque tamen ſingula *Oracula* de ſingulis ſibi propoſitis reſpondebant, ſed de iis ſolummodo rebus quæ naturæ eorum conſentaneæ erant. Hoc pacto *Oraculum Serapidis* circa ea quæ Terræ cultum concernebant, *Anubidis* circa ea quæ Scientias, *Hori* circa ea quæ bona Corporis & Animæ, *Iſidis* circa ea quæ aut *Nilum* aut fœcunditatem concernebant, conſulebatur. *Ammonis* vero in *Lybicis arenis* conſtitutum *Oraculum*, uti celeberrimum omnium, ita de quibusvis rebus ſibi propoſitis reſponſa dabat. Ab his *Oraculis* quatuor alia in *Græcia* magni nominis *Oracula* prodierunt, ſeu potius execranda ad hominum animos faſcinandos ſuſcitata ſunt Sacraria; *Delphicum* in *Ionia*, in *Lebadico Triphonium*, in *Mileſia Branchidicum*, *Sabæum* in *Phocide*: præterea *Amphiarai* in *Attica*, *Sebaniticum Latonæ* in *Butho Ægypti*, innumeriſque aliis locis conſtituta. Quæ omnia reſponſa dabant locis obſcuris, obſeſſiſque à malignis Spiritibus, voce, ſomnis, geſtu nutuque *Statuarum*, ſonitu, tinnitu, vel aliis ſignis: edebanturque vel ab ipſo Dæmone, vel à Pythonibus, Sacerdotibusque ſpiritu fatidico afflatis: qui à ſpecubus, furnis obſcuris, & profundis horribili ſono & ſtrepitu irruebant in *Enthuſiaſtas* ſpecie ignis, quo circumquaque involvebantur, & in furorem acti, cum palpitatione omnium artuum, inverſis oculis, & ore diſtorto effabantur ea, quæ Dæmon illis ſuggerebat. Hoc pacto ſuperſtitionum Architectus ſeſe furtim per Idololatriam in animos hominum inſinuans, illis variorum rituum & cærimoniarum devotiones inculcare ſategit, quibus ſimplices mortales, ſuos Commentitios Deos ſub pietatis & virtutis prætextu colerent; ut ſub his titulis per omne genus impietatis & nequitiæ illos volutaret, pollueretque, atque adeo debitum *Deo* honorem ad ſe derivaret.

Oracula *in omnibus fere* Ægyptiorum *Nomis.*

Ægyptiorum Oracula *celebriora.*

Græcorum Oracula *celebriora.*

§. 2.

§. 2.

De Herbis *&* Lapidibus ab *Hieromantis in* adytis *uſurpatis.*

Herbis utebantur Ægyptii in ſacris.

ÆGyptios ut plurimum *herbis* in ſacris uſos, frequens Hieroglyphicarum *herbarum* paſſim in *Obeliſcis*, & *Tabula Iſiaca* occurrentium multitudo oſtendit. Putabant enim *Ægyptii*, ſingulas *herbas* ſuos ſibi appropriatos præſides Genios habere, qui cùm ſummâ curâ & amore erga res fidei ſuæ commiſſas ferri crederentur, eos hujusmodi rebus conſequenter trahi, & ad arcana revelanda præviis ſacrificiis ſiſti poſſe, atque hoc vi quâdam ipſis *herbis* inſita effici putabant; cum opinione eorum nihil aliud eſſent, quam particulæ quædam Divinitatis. Verum hæc doctrina uti Orthodoxæ Doctrinæ è diametro repugnat, ita merito veluti totius ſuperſtitionis radix jam dudum proſcripta exulat. Siquidem *herbæ* hoc pacto, non tanquam Virtutes naturales operantur,

Herbis ac Plantis non ineſt vis phyſica ad Spiritus fugandos vel attrahendos.

ſed tantum ſigna quædam ſunt, ex pacto implicito vel explicito ordinata, quibus poſitis Dæmon ſe ſiſtit. Si enim per *efficientiam naturalem* Genios attraherent, neceſſario in iis vim aliquam imprimerent; ſed cum Corporearum rerum ad Spirituales ſubſtantias nulla intermediet proportio, utique Spiritualis ſubſtantia, impreſſionis virtutum, qualitatumque naturalium Subjectum eſſe non poteſt, quo vi naturali attractus hujusmodi producatur: ſed *moralis cauſa* ſolummodo intervenit, eò quod Dæmon *herbis* veluti, ſignis quibuſdam ex pacto compoſitis, ad condeſcendendum concitetur.

Herbis variis Ægyptii utebantur ad varios effectus.

Quod itaque *Ægyptii Aglaophotide* herba, aut *Cnebiſone*, aliisque *paulo ante* demonſtratis, Deos evocare conſueverint; *Theongelide* herba poti, futurarum rerum eventus prodiderint; id certo virtuti naturali dictarum herbarum minime adſcribendum eſt, ſed, ut dixi, *pacto*, quod per herbas veluti ſignum quoddam expreſſum pangebatur. Quæ omnia S. Auguſtinus lib. 21 de Civit. cap. 6 his verbis docet: *Illiciuntur Dæmones ad habitandum per creaturas, quas non ipſi, ſed* Deus *condidit, delectabilibus, pro ſua diverſitate diverſis, non ut* animalia cibis, *ſed ut* Spiritus, ſignis, *quæ cujusque delectationi congruunt, per varia genera lapidum*, herbarum, *lignorum, animalium, carminum.* Ita *Ægyptii Mentaſtro* utebantur ad cognoſcendum in cujus Planetæ tutela ſis. Modum operandi vide apud *Apulejum c. 9. de viribus Herbarum.* Utebantur & *Moly, Mithridatio, Scordoti,* & *Centaureo*, Magicis herbis, ſuis in ſacrificiis, *Plinio* teſte *l. 25. c. 10.* De *Omomi* herba cum Lupi ſanguine miſta, quid præſtiterint Ægyptii Magi, *Plutarchus de Oſiride & Iſide* recitat, & nos fuſe in *Obeliſco Pamphilio* expoſuimus. Hujus quoque farinæ ſunt *Æthiopis herba*, quâ amnes & ſtagna ſiccari conjectu, tactu omnia clauſa aperiri opinabantur, *Achemenide* conjecta in aciem hoſtium trepidare agmina, & terga vertere. *Latacem* plantam à Regibus *Perſarum* Legatis dari ſolitam, ut quocunque veniſſent, omnium rerum copia abundarent, *Cteſias* memorat. Circa herbam quam *Verbenacam* appellant, teſte *Plinio lib. 26. cap. 4.* Magi mirum in modum inſaniunt, hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi. Dioſcorides lib. 5. & Gal. lib. 2 Antid. ajunt plantæ genus eſſe, *Creſſam* dictam, unde Toxicum fiat: Ἔνιαι τῖς ἐπὶ τῇ προγνώσει τελετῶν δαπανηραὶ, δεῖ συγκωμίσαι κρῆσαν βοτάνην. *Nonnullæ cærimoniæ ſacrorum, quæ fiunt ad vaticinia poſtulantur:* herba Creſſa *conterenda eſt*, καὶ πλευρὸν Αἰγύπτιον, ἢ

S. Auguſtinus. Apulejus. Plinius. Plutarchus. Cteſias. Plinius. Dioſcorides. Galenus.

ὀςέον

ὀςέον Ἰβιακὸν, *&* Ala Ægyptiæ, *&* Os Ibiacum. Non multò ſaniora ſunt, quæ apud *Plutarchum* legas *lib. de Fluminibus*: In *Chelydone Ætoliæ* monte herba *Myops* naſcitur, qua ſi quis in aquam conjecta lavet vultum, excæcabitur; ſi *Dianam* piacaverit, viſum recuperabit. *Zaclus* herba in vinum injecta illud in aquam convertet. Meminit & Calliſthenes de Rebus Alexan. Nectanebum Regem Ægypti *herbam ex ſolitudine accepiſſe, quam efficacem ad ſomnia movenda eſſe ſciebat, qui ex ea ſuccum exprimens, fecit Imagunculam in cera Muliebrem, eique nomen inſcripſit* Olympiadis, *accenſaque lucerna ex herba Dæmones execrationibus ad eam rem idoneis invocabat, ut* Olympias *ſibi videretur* Hammonis *amplexibus frui*: Verba Græca ſunt: καὶ λαμβάνει βοτάνην ἀπὸ τῆς ἐρήμου ἣν ἠπίςατο πρὸς ὀνειροπολίαν, καὶ ἅψας λύχνον ἀπὸ τῆς βοτάνης ἐπεκαλεῖτο ὅρκοις τοὺς πρὸς τοῦτο πεποιημένους δαίμονας, ὥςε φαντασθῆναι τὴν Ὀλυμπιάδα, καὶ θεωρεῖν πεπλεγμένον αὐτῇ τὸν Θεὸν Ἄμμωνα. Herba *Oſirites*, quam Divinam non in vivos modo, ſed etiam in mortuos habere potentiam, rebantur, Umbras ad percunctandum uſos *Ægyptios Plinius* teſtatur *lib.* 30. *c.* 2. Ex quibus omnibus patet, *herbas* Magicas nulla virtute naturali ad dictos effectus, quos ipſi contingere putant, præditas eſſe, ſed Dæmones ad illas veluti Signis quibuſdam, ut dixi, commotos, effectus præſtare; quod ex circumſtantiis facile deprehendes; cum ſine ſuperſtitione, aut Aſtrologicis operationibus nihil hic fieri videas. Unde ea non immerito Theophraſtus ἀνθέςερα καὶ ἀπιθανώτερα, *inepta & incredibilia* vocat.

Plutarchus. *Calliſthenes.* *Herbæ Magicæ Ægyptiorum.* *Plinius.* *Theophraſtus.*

Sed progrediamur ad *Lapides*, in quibus eadem quæ in plantis conſideranda occurrunt. Inter *Ægyptios lapides* erant hi comprimis memorabiles, *Ananchites*, & *Atizoci*; per priorem, *Plinio* teſte, Deorum evocabantur imagines, per alterum geſtantes eum inviſibiles reddebantur. Verum qui rationes noſtras *paulò antè* allatas probè intellexerit, videbit hæc nulla ratione conſiſtere poſſe, neque ea vi naturali peragere, ſed Dæmonis ope, qui *lapidibus* tantum veluti *Signis* quibuſdam ex *pacto* poſitis utebantur. Verum cum de lapidibus, uti & de Animalibus, in *Obeliſco Pamphilio* ampliſſime tractatum ſit, eò Lectorem remittimus. Nullum itaque ſacrificium ſine *herba*, nullum ſine *lapidibus*, aut *aromatibus* libamen offerebatur; hujuſmodi enim ſola Numinis alicujus trahendi effectum, præſtare poſſe opinabantur.

Lapides Magici apud Ægyptios. *Plinius.*

§. 3.

De Statuis *quas* ἀποτροπαίας *ſive* Averruncas *vocant, uti & de multiplici* Amuletorum, *queis* Ægyptii *utebantur, confectione.*

Teleſmata, Amuleta, Phylacteria, Periapta quid.

Quin Teleſmata ſive ἀποτελέσματα, Amuleta, quæ & φυλακτήρια, περιτρήμματα, περιάμματα, περίαπτα βρέβια, dicuntur, ſint, *variis* in *Oedipo locis* abunde ſignificatum fuit. Erant enim *præſervativa* contra omnium malorum occurſus remedia, Dæmonis ope inſtituta, & ab *Ægyptiis*, variis miriſque modis, ritibus & cærimoniis conſecrata; Unde & θεουργία Magiæ pars originem invenit. Erant autem *duplicis generis*, Majora, & Minora: *Majora* & immobili poſitu ſolidata, in publicis locis urbium, templorum, cœmeteriorum, tum regionum clauſtris, ad hoſtium arcendos inſultus, &

Amuleta duplicis generis, majora & minora.

ἀντι-

ἀντιτεχνίας δαιμόνων κακοέργων eludendas ponebantur. Quæ apprime exhibet *præſens Schema*, à doctiſſimo *Nardio* mihi communicatum, Figura *κριόμορφος*, *velata* cervice, & in *Conum* inverſum habitu: *Ammun* eſt, Numen ἀποτροπαῖον, dextrâ *lituum*, alterâ *flagellum* geſtat, quo dum adverſæ Poteſtates diſpelluntur, rerum temperies & harmonia conſiſtit. Sed vide quæ de *Ammone Ægyptio* uberrimè diſceptavimus *Oedipi Tom. 1 Synt. 3. Capit. de Ammone*, & in *Aſtrologia Ægyptiorum de Signo Arietis*. Minora & portatilia in domibus, in collo, pectore, manibus hominum, animaliumque ad malorum averruncationem portata ſerviebant. Quæ ut intelligantur,

Hieroglyphica rerum mirandarum effectiva putabantur.

Sciendum eſt, *Hieroglyphica ſymbola*, non tantum rerum altiſſimarum ſublimiumque de Divinitate myſteriorum Significativa, ſed & Effectiva fuiſſe mirandarum, quæ per ea fieri putabantur, operationum. *Hieroglyphica* itaque *Obeliſcis* inſculpta non tantum, uti dictum eſt, abditam de *Deo* Numinibusque Theologiam, eorumque in Mundana hac monarchia officia & miniſteria exhibebant; ſed & præterea malorum Geniorum machinationes & *ἀντιτεχνίας*, in virtute potentium Angelorum, Supremique Numinis ſumma poteſtate, quæ ſub iis exprimebatur, arcere credebantur. Unde ut effectum ſuum ſortirentur, prius magno rituum cærimoniarumque apparatu per Sacerdotes conſecrabantur: Quo peracto, nullam malignam Poteſtatem, aut *Ægyptiæ Telluri* infeſtam potentiam conſiſtere poſſe, ſibi pollicebantur. Imo Symbola, uti in *tertio Tomo Oedipi* demonſtratur, ita appoſite benignis Geniorum cœtibus applicata erant, ut ſimilitudine naturæ & amica quadam cognatione, quam ad res per Symbola expreſſas obtinebant, attracti, vel inviti *Ægyptiacæ Telluris* contra contrarias Potentias defendendæ tutelam arriperent. Cui verò Genio quælibet res, ſubjecta eſſet, cuive potentiæ Præſidi, Inferioris Mundi, Sydereique entia, ſympathicâ, id eſt, amicâ cognatione, concordarent, ex Myſticis rerum Mundanarum Catenis, quas *σειρὰς* vocabant, Idealique *Obeliſcorum* doctrina, de quibus in *Oedipi Tomo II, Parte altera, in Claſſibus Aſtrologiæ & Medicinæ* copioſe diſſeruimus, diſcebant.

Hieroglyphica plerumque erant Amuleta apud Ægyptios.

Dico itaque, omnia ferè Symbola & Hierogrammatiſmos, qui in *Obeliſcis*, cæteriſque Ægyptiacis *Monumentis Hieroglyphicis*, uti in *Iſiaca Tabula*, reperiuntur, præterquam quod arcaniſſima quævis ſignificarent, *Amuleta* quoque fuiſſe ſeparatim uſurpata, & paſſim ab *Ægyptiis*, ex *Obeliſcis*, veluti archetypis codicibus decerpta, ceu ſacra quædam *Phylacteria* in collo, pectore, manibus, aliiſque ſecretioribus corporis partibus, tùm contra diverſorum morborum violentiam faſcinationesque, tum ad animi bona acquirenda fuiſſe portata; imo Animalibus eandem ob cauſam, veluti Symbola ſterilitatis averruncativa, fuiſſe alligata; quod ipſum longa & diuturna experientia ſat ſuperque docuit. Dum enim innumeros pæne Antiquitatum promos condos exploro, omnia ferè & principalia *Hieroglyphica Symbola* diverſis pretioſis lapidibus inſculpta cum anſula dorſo annexa reperi; quod apertum ſignum eſt, illa filo ſuſpenſa uſibus hominum privatis ſerviiſſe; quæ omnia æri inciſa in 3 *Tomo Oedipi* exhibentur. Neque in lapidibus tantum exhibebantur, ſed in tæniis, liciis, ſchedis, tabellis metallicis Diis appropriatis exarabantur, ut ſuo loco dictum; cum tanto ſuperſtitionis augmento, ut vix eſſet puer, homo, brutum, quod non hujuſmodi fanatica deliramenta ſibi appenſa haberet. Quæ paulatim ad vicinas *Ægypto* gentes propagata, *Arabiam*, *Græciam*, *Babyloniam*, deinde totum infecit *Latium*. Hinc Feſtus, *Ipſillices*, *laminæ neceſſariæ Sacris Magicis*, *ſpecie virorum & mulierum characteribus quibuſdam exarabantur*: Unde Magi qui eas exararent & inſculperent, à Græcis *Stœchiomathici*, ab Ægyptiis *Hieromantæ* dicti fuerunt.

Hieroglyphica Amuleta utenſilibus rebus inſculpta.

Feſtus.

Ægyptiorum ſuperſtitio ad alias tranſiit nationes.

Cedrenus.

Apollonius Tyaneus.

Cedrenus in Claudio *Apollonium Tyanæum* arcanorum *Ægypti* apprime peritum fuiſſe ait, ϛοιχιῶσαι ὄφεις, καὶ σκορπίυς μὴ πλήτ]ειν, *Characteribus & ſigillis devinxiſſe Serpentes & Scorpios ne percuterent.*

Euſebius.

Meminit & horum Euſeb. lib. 5 Præparat. Euang. *Lineas jubet deleri, ut abeat; has enim ſe retinere, & aliam figuram veſtitus, qui fert ſimulacra Deorum.*

Tzetzes.

Quidam Philoſophus, teſte Tzetze, ξέϛας ἐν πέτρᾳ πρόσωπον τοῦ Χάρωνος, *exſculpto in lapide* Charontis *vultu, dum peſtis* Antiochiæ *graſſaretur, & in Vrbe poſito ſimulacro, luem ſedavit. Apollonius Ægyptiorum* more Ciconiam exſculpens in marmore, Ciconias, fontes & puteos injectis ſerpentibus vitiantes, *Byzantio* expulit, *Heroſtrato* teſte.

Heroſtratus.

Idem Peſtilitatem, Dæmone qui in ſpecie mendici graſſabatur lapidibus obruto, ſedavit.

Cedrenus.

De eodem Cedrenus ait, *Apollonii hodieque in quibuſdam locis* ἐνεργοῦσι τὰ ἀποτελέσματα ἰϛάμϑμα, *opera perſeverant, & efficacia ſunt*, alia Quadrupedibus & Volucribus damnoſis avertendis, alia εἰς ἐποχὴν ῥευμάτων ποταμῶν ἀτάκτως φερομένων, *ad inordinatos amnium curſus cohibendos. Ægyptiis* nullus non angulus Urbium hujuſmodi ſcatebat.

Amuleta terreſtria apud Ægyptios, aerea & Nilotica, &c.

Erant autem *Amuleta Terreſtria*, ob fœcunditatem Terræ ordinata, ut *Serapis* ex omnibus Mundi materiebus conflatus; erant & *Nilotica*, ut *Canopus*, ad *Nili* fertilitatem procurandam; erant *Aërea*, ut *Accipiter*, ἱερακόμορφα, ad peſtis contagionem arcendam; erant & *Ignea*, ut *Aſpis* ἀγαϑοδαίμων ad ignis caloriſque ſiccitatem avertendam: erant *Vrbium* & privatarum *domuum* Lares & Penates, *Infantes* faſciis *involuti*, quibus malignæ Poteſtates diſpelli credebantur: hujuſmodi erant Idola *Laban Theraphim* dicta, quæ *Rachel* furata fuerat & abſconderat, uti habetur *Gen.* 31, 19. erantque Penates *Ægyptiorum*, uti alia omnia, ab *Ægyptiis* ad *Hebræos* propagata; de quo vide *Tom.* 1 *Oedipi. ſyntag. de Pantheo Hebræorum.* Erant cuique *privata* quædam *amuleta*, quæ contra nocivam vim *Typhoniam* collo, pectore, manibus geſtabantur: erant & *animalium* contra luem à contrariis Poteſtatibus iis immiſſam, hujuſmodi *Amuleta* paſſim uſurpata. Verum cum de hiſce paſſim in Opere *Oedipi* diſcurramus, hic longiores eſſe noluimus.

SS. Patres invehuntur in Amuleta.

Contra quæ recte paſſim *SS. Patres* ſummo rigore invehuntur.

Lactantius.

Lactantius l. 1, c. 14. *Inſinuant ſe corporibus hominum* Dæmones, *& occulte in viſceribus operti valetudinem vitiant, morbos cient, ſomniis animos terrent, furoribus quatiunt. Vt homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.*

Tertullianus.

Tertull. in Apolog. c. 22. *Dæmones lædunt primò, deinde remedia præcipiunt, ad miraculum nova ſive contraria, quæ poſt deſinunt lædere, & curaſſe creduntur.*

Origenes.

Origenes contra Celſum: *Quid recenſeam, ait, Celſus, eos qui luſtrationes docuerunt, & incantationes pellendis morbis, arcendiſque, aut effigies formaſque Dæmonum varias, & præter hæc in veſtibus, manicis, lapidibus, plantis, radicibus* amuleta *diverſorum generum?* Sed hæc de *Amuletis* in genere ſufficiant.

§. 4.

De Amuletis *in particulari.*

Amuleta varia explicata.

VErum ut hæc Lector ἐν τῷ τύπῳ clarius cognoſceret, hic *Amuleta* nonnulla apponenda duxi, ex quibus reliquorum rationem facilius intelligat. Inter *Amuleta Ægyptia* nil erat communius *Harpocrate*, *Horo*, *Apide*, *Oſiride* & *Iſide*, *Canopo*; quorum *primus* Cornucopia inſtructus, ſub forma pueri nudi, digito ſilentia ſuadente conſpiciebatur, *alter* itidem

Harpocrati Digitus, Cornucopiæ & Amuletum.

dem ſub forma Pueri, ſed faſcibus & reticulato amictu involutus; *tertius* ſub forma Bovini capitis; *quartus* ſub variis formis, nunc ἱεϱακόμοϱφ☉, nunc κυνόμοϱφ☉, modo Leoniformis; quinta ſub Mulieris habitu, ſcutica & reti inſtructa, aliisque inſtrumentis, uti in *ſequenti figura* apparet. Per *Harpocratis amuletum* religioſe geſtatum, arcanorum per varias divinationum ſpecies ſe conſcios futuros ſperabant; geſtatum autem fuiſſe, *anſulæ* ſatis demonſtrant. Per *Hori amuletum* naturæ humanæ notitiam ſe habituros putabant: per *Apidis amuletum*, fœcunditatem, per *Oſiridis*, Influxus superni abundantiam, per *Iſidis*, quæ ad Terram & *Nilum* pertinent, bonorum omnium temporalium Ubertatem fœcunditatemque ſe conſecuturos ſperabant.

Nihil præterea *Amuletis* quæ Ibidem, Accipitrem, Bovem, Canem, Cynocephalum, Ælurum, ſimiliaque referebant, frequentius erat; quibus omnibus privata bona ſe conſecuturos ſperabant: ut, per *Accipitrem* claritatem Luminis tum oculorum, tum intellectus, per *Bovem* Domeſticæ ſubſtantiæ amplitudinem, per *Canem* Scientiarum & artium notitiam, per *Cynocephalum* & *Ælurum* Lunaris Numinis attractum.

Erat ex inſectis quoque *Scarabæus*, certis & appropriatis lapidibus inciſus, potentiſſimum *Amuletum*, & paſſim uſurpatum ad Solaris numinis attractum, contra omnes tum animi tum corporis morbos inſtitutum; quorum ingentem copiam, ex omnibus Antiquitatum penuariis ad me tranſmiſſam, una cum aliis diverſarum Formarum & Characterum Schematiſmis, vide in *Theatro hieroglyphico* ſeu 3 *Tomo Oedipi*, ubi interpretationem ſingulorum adduximus.

CAPUT VI.

De Adytis Ægyptiorum *occultis, in quibus ritus ſuos & Magicas ſuas operationes inſtituebant.*

Adyta Ægyptiorum *in pluribus Nomis.*

DE *Adytis Ægyptiorum*, locis obſcuris & ſubterraneis, copioſe egimus in 1 *Oedipi Tomo*, *Syntag.* 5. quare hoc loco tantum, quid in iis operati ſint Magi, & quas cærimonias peregerint, explicandum reſtat. Erant autem complura in *Ægypto* hujus generis latibula, & ut Clemens ait, *pro numero Oraculorum aut Nomorum, Diabolicarum artium ſacraria;* in quibus primo in Muris depictæ ſpectabantur, Hieroglyphicæ doctrinæ documenta, ad Spiritus attrahendos aptiſſima. Primarium Numen cum aſſeclis Geniis pro loci ratione diverſis, Aræ impoſitum cernebatur, mira transformatione deturbatum. Erat & vicina Piſcina ſacra in uſum rituum & expiationum deſtinata. Totus locus obſcurus, & non niſi luminibus illuſtrari poterat. Intra hunc Sacerdotes ſtatutis diebus conveniebant, eo Veſtium & Ornamentorum habitu, quo tum Numen primarium, tum Aſſeclæ adornati conſpiciebantur; in ſilentio ſummo tenebras illas Supremi atque immenſi Numinis, quas per loci Caliginem indicabant, atteſtabantur; deinde ſingularum Figurarum parietibus depictarum myſteria, vim & efficaciam docebant ſacris Initiandos, quomodo procedere deberent, &c. cujuſmodi Fragmentum ad me olim miſit Eruditiſſimus *Nardius*, ὁ μακαϱίτης, ut eſt *Oedipi Tom.* II, *ſecunda parte*, *Claſſis* XI, *cap.* V. & hic quoque *infra Parte* III, ſimile Ectypon *Ægyptiaci Adyti* adducetur. Quorum quidem ratio tanti apud *Græcorum* Philoſophos, tametſi non niſi

Clemens.

Adyta quomodo adornata, & quid in iis actum.

Clemens. ſama tantum relata, fiebat, ut, Clemente teſte, ὁ Πυθαγόρας περιετέμνετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ᾽ Αἰγυπτίων ἐκμάθῃ φιλοσοφίαν, *Pythagoras circumciſus ſit, quò in* adyta *ingreſſus, myſticam ab Ægyptiis diſceret Philoſophiam.* & Juſtinus. Juſtin. Quæſt. ad Orthodoxos cap. 25. Τίμια δὲ ἦν ποτε παρ᾽ Αἰγυπτίοις μαθήματα τὰ ἱερογλυφικὰ καλούμενα, τὰ ἐν τοῖς ἀδύτοις οὐ τοῖς τυχοῦσι, ἀλλὰ τοῖς ἐγκρίτοις παραδεδομένα· ἀστρονομία δὲ καὶ ἀστρολογία παρ᾽ αὐτοῖς τότε χυδαία τε καὶ πεζή, καὶ ἀγοραῖα μαθήματα λελόγιστο. *Id temporis* Hieroglyphicæ diſciplinæ *in pretio erant apud* Ægyptios, *quæ in* Adytis *dabantur lectiſſimis quibusque, non hominibus de trivio; Aſtrologia verò abjecta, circumforanea & vulgaris apud eos erat.*

Quibus ritibus Sacerdotes ſupplicabant. Quod ſi de publico aliquo Regni aut Urbis negotio Numina conſulenda forent, aut peculiare quidpiam à Dæmonibus petendum foret, aut Simulacra in Oraculorum uſum conſecranda; tum præmiſſis *paulo ante* dictis cærimoniis, Apulejus. Sacerdos (qui, teſte *Apulejo in Apolog.* rite callere Cærimoniarum leges, fas Sacrorum, jus Religionum debebat, & ut Libanius. Libanius Declamatione 43. ἐπίστασθαι τοὺς Θεοὺς, καὶ τ᾽ ἀκείνων ἀπόρρητα, καὶ τίσι χαίρουσι, καὶ τίσιν ἕλκονται, καὶ τί λαβόντες ἀντιδοῖεν ἂν, *ſcire Deos, eorumque arcana, & quibus gaudeant, quibus trahantur, & quid capientes reddant*) horrido murmure, imperioſisque verbis, Lucianus. teſte *Luciano in Necricis*, Deos ſuperos maneſque torquet, noxium, ære circumdatur carmen, tum horrentibus verbis urna opertanea præcluditur,

Ter novies carmen magico demurmurat ore;

Verum & hoc cum magna differentia: neque enim ſemper minis, aut verborum portentoſorum prolatione utebatur. Cum enim Supremo Numini, Choroque ſupremarum Potentiarum ſupplicabant, id non niſi Hymnis, Canticis, Sacrificiis & præviâ animi corporisque ab omni terrenæ contagionis fœditate ſoluti diſpoſitione & expiatione efficiebant. Quo quidem nihil aliud niſi θεομόρφωσιν, id eſt, in *Deum transformationem* intendebant: quam ubi adepti fuerant jam *Deorum* conſortio digni, nullam adeo magnam Potentiam eſſe arbitrabantur cui non imperare, eamque ſui juris facere poſſent. *Θεομόρφωσιν appetebant Ægyptiorum Sacerdotes.*

Minus tamen utebantur in genus quoddam Dæmonum inferioris ordinis, quod imperioſis minacibusque verbis ad id, quod volebant, cogebant: ita Jamblichus: Verba ejus ſunt, *Narrat* Porphyrius, Sacerdotes *conſueviſſe violentis quibuſdam* minis *adverſum Superos uti: Minæ hæ fere erant: Niſi vos ita feceritis*, vel *contra ſi feceritis aliquid, Cœlos confringam, vel Occulta* Iſidis *patefaciam, vel Arcanum in abyſſo reconditum divulgabo, aut Ciſtam* barin, *id eſt, Navim quandam apud* Ægyptios *ſacram, aut membra* Oſiridis Typhoni *diſpergam, cæteraque ſimilia.* Quæ omnia Pſellus lib. de Operat. Dæmon. c. 21. confirmat, dum ait, *Dæmoniorum omnia genera* mirè audacia & timida *eſſe; imprimis autem ea quæ* πρόσυλα *ſeu materiæ affecta ſunt. Siquidem* aërea, *quibus plurima ſollertia ineſt, ſi quis increpuerit, increpantem diſcernere non poſſunt; nec alius ab eorum vexatione liberari poteſt, præterquam is, qui ſanctitate vitæ Deum colat, tremendumque* Dei Verbi *Nomen Divina potentia fretus accinat; Hæc autem, nimirum materiæ affecta Dæmonia, verita ne in abyſſos meatusque ſubterraneos relegentur, ſibique ab* Angelis eò *relegantibus timentia, cum quis illuc ea relegatum iri comminatur, Angelorumque nomina exprimit, quibus id provinciæ demandatum eſt; dici vix poteſt, quanto metu, quibus perturbationibus concutiantur; ita enim animo percelluntur, ut ne comminantem quidem, quisnam ille ſit, diſcernere valeant; ſed ſive* anicula *quædam, ſive vetulus* homuncio *comminationes hujusmodi expreſſerit, tunc tantus ea metus invadit ut plerumque abſcedant, ac ſi ea qui com-*

Jamblichus. Porphyrius. Sacerdotes Ægyptiorum *Diis minabantur.* Pſellus.

communantur iidem & internecioni dare poſſint: uſque adeo timida *ſiunt, nec quenquam diſcernere norunt. Proinde facillime ab impuro illo* Incantatorum *genere excrementitiis cicurantur, ſalivis, inquam, unguibus & capillis, cerâ tenuique revincta filo, execrandis illis exorciſmis & abjurationibus tragicas affectiones & turbas evitant.*

Quid autem per hujuſmodi *minas* indicare voluerint, aut quomodo Diis imperare potuerint, ex *Ægyptiorum* mente explicandum duxi.

Ægyptii putabant Genios *aliquos et mere homines* θεομόρφους.

Sciendum itaque eſt, in Mundo juxta *Hieroglyphicam* Sacerdotum doctrinam, genus quoddam ſtatui Poteſtatum, quod homines θεομόρφους, & per continuum Sacrorum exercitium, in *divinam* quandam *eſſentiam transformatos*, revereatur, timeat, eorumque verbis imperioſis obſtupefactum obtemperet; non humanâ quidem virtute, ſed Divinâ ſacramentorum ineffabilium poteſtate. Nam, ut recte Jamblichus dicit, *cum Sacerdos hujuſmodi in ſuperiorum Deorum ordine conſtituatur, ideo grandioribus propriâ natura mandatis utitur atque* minis; *neque tamen, tanquam facturus, quæ tunc aſſeverat, ſed declaraturus quantam nactus fuerit poteſtatem, propter ipſam ad Deos unionem, ex notitia & ineffabilium ſymbolorum ſignaculorumque poſſeſſione.* Aliam rationem quoque *Iamblichus* notat, Obedientiæ Dæmonum ad minaces Sacerdotum voces: ſunt enim nonnulli *Dæmones*, *in Provincias* Mundique partes *diviſi*; ſingulique ad continuam rerum ſuæ fidei commiſſarum cuſtodiam deſtinati; qui quidem tantam rerum ſibi commendatarum curam habent, ut nec verbum quidem illius Ordini diſpenſationique contrarium valeant tolerare: non aliam ob cauſam, niſi quod Deorum ordo conſtanti & inconcuſſa neceſſitatis lege omnis mutationis experte in iis perſeveret, quam illi pari Mundanorum perſeverantiâ obnixè cuſtodiant.

Jamblichus.

Itaque *Dæmones* hujuſmodi *circumterranei*, uti in fidei ſuæ commiſſis rebus viverent, & ex iis eſſe ſuum traherent: ita eas ipſas res tantopere ſibi cognatas, & amicas, ſimilibus *minarum tormentis*, ut invadantur, non permittunt: imo nec eas audire poſſunt, eò quod ordinem atque adeo totius Univerſi diſpoſitionem, potiſſimum iis ſub Myſteriis contineri intelligunt, quæ ſunt ipſa Numina *Allegoricè* per verba indicata. Quando igitur dicunt, *Cœlos confringam*, vel *Occulta* Iſidis *patefaciam*, vel *Arcanum in abyſſo reconditum divulgabo*, aut *Ciſtam* barim, aut Oſiridis *Membra* Typhoni *diſpergam*, cum id ordini Totius repugnet, conſequenter ordini Cuſtodum contrarium; hinc perturbantur, & ne ſimilia amplius moveant, voluntati eorum condeſcendunt: nam non alia de cauſa Mundi partes in ordine permanent, niſi quia benefica *Oſiridis* poteſtas ſincera & intacta, nullo contrario tumultu & errore miſceri & confundi poteſt: vita inſuper omnium pura ſemper & incorrupta perſiſtit, eò quòd vivificis harmonicisque rationibus, quæ in *Iſide* reconditæ ſunt, totus Mundus ſempiterna lege perſiſtat. Quis enim curſum Solis & Lunæ prohibeat? quis abyſſos aperiat? quis *barin*, id eſt, Vehiculum Mundanarum rationum retardet? Ne itaque ordo Naturæ immutetur ſortemque contrariam ſubeat, hunc verbis minacibus ea profanari nolunt, quæ ſempiternorum Deorum munere, perpetuæ ſtabilitatis, omnis contrarietatis expertem ſortem nacta ſunt. Atque hæc ex mente *Ægyptiorum*, etſi Orthodoxæ doctrinæ contraria, dicta ſufficiant.

Oedip. Tom. II, p. 4 4.

Minæ Dæmonibus *intentatæ ab Ægyptiis quid ſignificarint.*

PARS III.

De *Hieroglyphicorum*, quæ in *Mumia Gallicana* deſcripta ſpectantur Explicatione.

CAPUT I.

De Columnis Hieroglyphicis *quæ* Statuis *adſcripta ſunt.*

IN *præcedentibus* Lectori expreſſimus Myſtarum ritus & ſacrificia, quibus in Adytis ad Deorum placationem utebantur; quæ quidem uti Hieroglyphicæ *Ægyptiorum* doctrinæ ab *Hermete* traditæ veluti baſi & fundamento innitebantur; ita quoque ad ſecuturorum Hierogrammatum expoſitionem, rectè & ſcitè intelligendam non duntaxat neceſſaria ſunt, ſed & abditam Myſticæ doctrinæ portam aperiunt. Quod ut clarius pateat de *Lectione Hieroglyphica* recte intelligenda nonnulla præmittenda ſunt.

Characteres hieroglyphici *Conceptuum notæ.*

Notandum itaque, quod & *alibi* innuimus, *Characteribus Ægyptiis* ita fuiſſe comparatum, ut non More *Græcorum* vel *Latinorum*, ſenſum latentem per literarum contextum exhibuerint, ſed absconditum fuiſſe ſub iis *Idealem* quendam *conceptum*, ut mox ac intuerentur unum ex iis, in abditæ ſignificationis notitiam venirent; ut ſi *Accipitris* figura occurreret, de abditis Solaris Numinis proprietatibus, ex inſitis hujus Volucris facultatibus, omiſſo ulteriori diſcurſu, judicium formarent: ut *in proprio Accipitris Hierogrammatiſmo* docuimus.

Characteres hieroglyphici *ex omnibus ad ſacrificia ſpectantibus aſſumpti.*

Notandum *ſecundo*, hos *Characteres* ex omnibus rebus, quorum uſus in Sacris erat, fuiſſe aſſumptos, tanquam Deorum recondita *ſymbola*. Uti enim Analogas Mundorum Catenas reſpiciebant, iisque connectebantur: ita magnam quoque ad Deos ſollicitandos vim & efficaciam in Theurgica operatione continere credebantur.

Characterum hieroglyphicorum uſus varii.


Et *primo* quidem, uſus eorum fuit in dictis *Idealium Notionum* conceptibus formandis; *Secundo*, in Amuletis fabricandis, quæ ſimilibus Characteribus paſſim inſignita ſpectamus, ut in *antecedentibus* aperuimus; *tertio* loco, Hymnorum & Adjurationum erant, quibus Numen aliquod certum ſollicitabant: atque hujuſmodi hymnos, ſeu Adjurationes ſignificant *minuti* illi *Characteres*, quos omnibus fere Simulacris appoſitos vides.

Lectio Idealis.

Cave tamen ne tibi perſuadeas hujus *Hieroglyphicæ literaturæ* contextum ex literis Alphabeticis, ſyllabis & periodis, uti in cæteris Linguis fit, conſtare; neque exiſtimes more nobis ſolito literali hîc legendum eſſe, ſed *Symbolico* prorſus & *Ideali conceptu*. Hoc pacto qui figuram *Accipitris*, quod eſt *Symbolum* Solis, videt, is ſtatim in mente concipit ex proprietatibus ejus ad Solem analogis, omnes Solaris Genii in operationibus ſuis proceſſus, modos rationesque; & conſequenter ex hujus contemplatione ad Solis ſupramundanas Actiones, queis Univerſum regit, paulatim Anagogico ſenſu pertingit. *Aliud exemplum* jungam uti in margine patet: Hæc *Symbola* pura *hieroglyphica* ſunt, & nullibi non obvia: *primum* eſt *ſymbolum* Triformis Numinis, ſub Globo alato ſerpentifero expreſſum, *ſecundum* eſt Accipitris figura, *tertium* eſt Serpens, *quartum* Cucuphæ

caput

caput ſceptro impoſitum, *quintum* Crux anſata, quod omnibus ferè Simulacrorum manibus inſertum videtur, *ſextum* Cornucopiæ, *ſeptimum* Vas Niloticum:



1 Supremum Numen influit
2 in Siderei Mundi *Oſirim*
3 Vitam
4 per Upupæ ſceptrum
5 in omnia Mundi membra diffuſam,
6 abundantiam rerum
7 Nilotici humoris beneficio præbet.

Hic itaque eſt *ordo Symbolorum*, quæ neque literis conſtant, neque ſyllabis, Senſuſque eorum non Literalis ſed Idealis, ſtatim ex eorum ſignificatione intellectui innoteſcit, ſub ſimili verborum Ideali conceptu, *Triformis Numinis, Vita ſempiterna, influens in ſiderei Mundi Oſirin ſive Solem, vitam per Mercurii vigilantiam, in omnia membra Mundi diffuſam, rerum omnium abundantiam Nilotici humoris beneficio præbet.* Quorum ſignificationes cum paſſim in *Obeliſcis* explicentur, hic ea non tam explicare, quam indigitare tantum volui. Haud ſecus in *Lectione hieroglyphicæ* ſcriptionis, tibi procedendum eſſe ſcias. Sed hiſce ritè obſervatis jam ad *Hieroglyphica* explicanda *Sex Numinum* ſupra adductorum calamum convertamus.

Statuis ingeniculatis D D averrun-



cativis appoſitæ *duæ Columellæ* ſpatia *Hieroglyphicis ſymbolis* conferta habere ſpectantur; quæ cum magna ex parte imperfecta ſint & defectuoſa, nos ea ex aliis Simulacris, exactiori pennâ expreſſis, ad genuinam formam reducimus, ut ſequitur, & vel ſolis verbis, vel etiam cum adjuratione prolata intelligi poſſunt: *Sacra noſtra vigili oculo* Oſiris *reſpice, & tres Inferioris Mundi terminos, influxu tuo*, Nilotico *liquore bea.*

In *prima Columella* ad ſiniſtram, primo loco



1 In Sacrificiis
2 Vigili oculo
3 *Oſiridis*
4 Portam aperire allabores:
5 Hic enim
6 Triplices Cœleſtis
7 Mundi terminos
8 Veloci influxu
9 Humidæ naturæ beneficio beabit.

loco occurrit figura ſub forma *Altaris*, quod Sacrificiorum, ubicunque obvium fuerit, ſumma veneratione peragendorum, *ſymbolum* eſt. Sequitur figura *Oculi*, quod Vigilantiam notat. Sequitur deinde *Accipitris* figura, ſymbolum *Oſiridis*, cujus Portam notat ſequens *Quadrangulum*. Subſequitur denuo figura *Accipitris*, *Oſiris* nota, in quantum Solare numen, Mundum providentia & fœcunditate gubernat, ſymbolum ex *Accipitris* proprietatibus ad *Solem* analogis, aſſumptum: deinde ſegmentum *Circuli*, quo ſuperior Horizontis pars exprimitur cum *tribus* terminis ſeu *limitibus* quibus Jura *Oſiris* in inferiora determinabantur. Claudit Schematiſmum *penna*, Velocitatis ſignum, cum *vaſe Niloticæ* aquæ, ſine qua nil in Sacris peragebatur.

Senſus Literalis, & Symbolicus.

Habemus ſic Symbolorum ſignificationem: jam quoque *Senſum* non literalem, uti diximus, ſed *ſymbolicum* ſeu Idealem exponemus: qui quidem variis modis exponi poteſt, vel per modum Adhortationis, vel Adjurationis, aut Hymni in Numinis laudem concepti. Prior ita ſe habet: *In ſacrificiis vigili oculo* Oſiridis *Portam aperire coneris; ſic enim hic triplices Mundi Cœleſtis terminos, veloci influxu Humidæ naturæ beneficio beabit.* Si vero per modum Adjurationis, ſic lege: *Sacrificia noſtra vigili oculo reſpice,* ô Oſiris! *Portas lucis pande, ut virtute tua Solari triplices Mundi termini velociter Humido naturæ repleantur.* Vel per modum Hymni: *Scimus Sacra noſtra tibi* Oſiri *provido Mundi Domino, grata eſſe, ideoque Lucis portas prompte ad preces noſtras aperias:* Oſiris *es, omnia virtute continens, triplicium Mundi terminorum Moderator: nobis Naturæ humidum concede.* Vides quomodo *Hieroglyphica* diverſos in ſe Senſus complicent, qui tamen ſemper in idem incidant.

Senſus lectionum Idealis juxta analogiam Mundorum *varius*; juxta Analogiæ amuſſim *idem.*

Hæc paucis exponenda cenſui, ut videres modum *Lectionis Idealis*, quæ ſecundum Mundorum analogiam, varios quidem ſenſus efficit, ſed juxta Analogiæ amuſſim eoſdem: de quibus vide explicationem *Obeliſcorum*, quæ tum *in Oedipo*, tum *Obeliſco Pamphilio* continentur; ubi verum modum & Methodum Lectionis hieroglyphicæ reperies. Eſtque in hoc maximè ſitum artificium *Hieroglyphicorum*, Sub diverſorum Senſuum, literali, hiſtorico, tropologico, myſtico, allegorico, anagogico, atque ſignificatione, Symbola ita ſcire adaptare, ut eadem, juxta intentam rerum Analogiam, non diverſa duntaxat, ſed vel integros Philoſophicos, Theologicosque Conceptus implicent: quod vel ipſo *Ariſtotele* teſte in Philoſophia ad mentem *Ægyptiorum* tradita pulchrum & laudabile inventum eſt.

Ariſtoteles.

Sed jam ad Inſtitutum. *Alteram Columellam*, cum fere eadem ſit cum præcedente, & in *ſequentibus* ſæpe recurrat, omittimus; præſertim cum defectuoſa ſit, & Characteribus conſtet detritis.

CAPUT II.

Exacta eorum Hieroglyphicorum *quæ juxta quadruplicem* quatuor Numinum *jam expoſitorum ſeriem*, quadruplici Columnarum *ordine deſcripta continentur*, *Interpretatio*.

Figuræ 4 Numinum ſignantur literis E, F, G, H, horum ſingula ſuos ſub Columnari forma *Hierogrammatiſmos* adſcriptos habent, quorum expoſitionem jam ordimur. Sed primo te ſcire velim, Lector, quaternos *hoſce*

4 Numinum dictorum, in adjunctis Columnis hieroglyphicis, Idealis Lectio.

E




1 Vita rerum, domito Typhone, velociter.
2 in Humido Naturæ,
3 Vigilantia Oſiridis, conſervabitur;
4 Ope præſidentis Anubis (Mercurii), præviis Sacrificiis,
5 Vita & virtus
6 In Niloticis vaſis
7 augmentabitur.
8 Per Statuam apotropæam,
9 Veloci concurſu Termini
10 Oſiridis,
11 Typhonia
12 Vis ligabitur, ſive
13 ſiderabitur:
14 Ex Pentapyrgon, id eſt, arx Cœleſtium Zonarum
15 Infima, media, ſuprema,
16 Velocis Oſiridis
17 Catena
18 Trium terminorum, Virtute Seiras, id eſt,
19 Catenæ Oſiriacæ, connectentur.

F



Vita rerum, domito Typhone,
Humidum Naturæ,
Providentia ſeu vigilantia Anubis (Mercurii) ſacrificiis præviis placandi,
Vitales in Vaſa Nilotica,
tum infra tum ſupra, influxus
abundabunt:
Faviſſæ ſacræ,
Geminato dominio
Oſiris & Iſidis, *id eſt*, Solis &
Lunæ, *cujus ſymbolum* Ibis *eſt*,
Triplices termini,
Virtute Catenæ
Beneficæ
Oſiris, *id eſt* Solis,
& Beneficæ Lunæ replebuntur.

H



Vita rerum, domito Typhone,
Humidum Naturæ,
Providentia Anubis ſeu
Mercurii, præviis ſacris,
Vitalis liquor
In Vaſa
Nilotica derivabitur.
Per 3 terminos conſtitutos Naturæ,
Virtute Catenæ Oſiriacæ,
Influentis
Portam Zonarum,
Typhon ligabitur,
Veloci Oſiris cooperatione.
Ligabuntur &
3 Limites juriſdictionis
Oſiris, omnia permeantis
Triplici Regnorum dominio.

G




Vita rerum, domito Typhone,
Humidum Naturæ
Providentia Anubis, ſeu Mercurii,
Præviis Sacrificiis,
Vitales influxus
In Niloticorum Vaſorum, 3 limitum,
Receptacula augebuntur.
Per Statuam apotropæam
Epariſterium Naturæ apertum,
In 3 Humida, ſummum, medium & infimum,
E tribus Canalibus
Vitali influxu
Derivato,
Tres limites beabit.
Typhon ligabitur
Beneficio ſubitaneo
Catenæ Oſiriacæ.

Hierogrammatiſmos ferè eoſdem eſſe; uti eos examinanti patebit; paucis exceptis, quæ Symbola tenent differentibus Numinibus propria; ut proinde unum explicare ſufficeret; attamen etiam reliquos ſeparatim exponimus.

Symbolorum *interpretatio.*

Primus itaque *primæ figuræ* E Hierogrammatiſmus, *Horæo* Numini inſcribitur; cujus ſymbola hæc ſunt; Serpens, Penna, Accipitris & Clava, cum infra poſito Hydroſchemate, Oculo, Sceptro Cynomorpho, & figura Altaris.



Serpens in omnibus Obeliſcis ſymbolum Vitæ notat: eo quod, teſte *Horo,* animal vivaciſſimum ſit, & in plurimas etiam ſectum partes, ſingulæ tamen vitam adhuc ex motu iis ineſſe demonſtrant. Vide *Syntagma de Serpentum ſymbolis* apud *Ægyptios* uſurpatis, quæ *in* nullis non *Operibus meis Hieroglyphicis* obvia auctoritatibus omnigenis ſtabilitantur. Sequitur *Penna Oſiridis*, quâ tangens, teſte *Horo*, Crocodilum, eum interimit; eſtque Symbolum averruncativum, contra *Typhoniam* violentiam, quod *Clava* appicta, Abactionis nota, indicat. *Hydroſchema* ſequitur, Humidæ naturæ ſymbolum, quo ſignificatur *Typhoniæ* poteſtatis propulſatio ab humore *Nili*, quem aduſtiva vi exſiccat. Sequitur *Oculus* cum *Sceptro Caniformi*, & figura *Altaris*: quo innuitur, hanc repulſionem fieri debere per providam Vigilantiam *Anubici* Numinis, quod certis cærimoniis primò placari debebat: ex hoc enim Vita Nilotico liquori, quæ denuo per *Serpentem* & *Vaſa Nilotica* ſuppoſita ſignantur. Sequitur modo *Figura ingeniculata*, eo ferè ſitu quo in Simulacris D D exhibentur; quo *Hori* aſſeclam *Anubim* placari debere oſtenditur: hinc enim Velocitas *Oſiris*, intuitu *Hori* & *Anubis*, *Faviſſas*, quæ ſunt Sacræ piſcinæ, nec non *Pentapyrgon*, id eſt, Catenæ Terreſtrium, Vegetabilium, Animalium, Hominum, & Geniorum receptacula, ſecundum terminos ſuos replentis & conſervantis.

Horus.

Horus.

Habes itaque *Columnam* jam E, una cum Symbolorum ordine ſe conſequentium expoſitione; quæ ſic Idealiter exprimuntur: *Vitam rerum ſiderato* Typhone *providus* Anubis, *per Statuam appropriatam*, *& propitiatricem commendabit* Oſiri, *omnium Moderatori*, *qui Piſcinas ſacras fovebit*, *& ad Pentapyrgon*, *ſive*



animarum, *terreſtrium*, *vegetabilium*, *animalium*, *hominum*, *geniorumque Manſiones*, *Catenarum beneficio*, *perducet.*

Lectio ſymbolica.

Pentapyrgon.


Reliquæ Columnæ idem prorſus habent; niſi quod ſubinde Literæ, pro Numinis conditione transmutentur: omnia enim Symbola quæ in uno continentur, in cæteris quoque contineri vides, etſi transpoſita. Sola *quarta figura* H, diſtincta ab aliis Symbola continet. Quoniam igitur *Thauſto* ſivè Accipitrino Numini ſupplicatur, hinc poſt commune cum reliquis exordium, poſt inferiorem *Statuam Apotropæam*, ponit ſequentia Symbola. Nota *Phialæ* eſt, *pyramidali fulcro* innixæ, ex qua *liquor* emanat in *trinam Humidæ* naturæ ſubſtantiam (Aquam enim *Ægyptii* rerum omnium principium dicebant), in tria Naturæ receptacula *(Faviſſas) Vitæ* ſymbolo ſignata, derivandus; *Thauſtus* Vitam & fœcunditatem largitur: Quæ omnia minutim deſcribuntur & auctoritatibus ſtabiliuntur *in Obeliſco Alexandrino*, quem conſulat Lector.

Notet quoque hic Lector, quod *Hieroglyphicis* ita comparatum ſit, ut quomodocunque tranſponantur Symbola, ſemper idem ſenſus reddatur; plerumque tamen deſcenſum Symbolorum, à ſummo ad infimum, juxta diffuſionem Supremæ Virtutis in ſumma, media, infima ordinatam, obtinere, ut ex Symbolorum Schematiſmis patet.

Tav. 5


ICHNOGRAPHIA
PROSPECTIVA CRYPT
MVMIARVM
Quæ omnia […] et […] in Ægypto Titus Liui

Inſeratur tom. III inter folia 400. et 401



...gypto Titus Livius Burratinus Reg. Poloniæ Architectus

CAPUT III.

Interpretatio Iconiſmi I. in Capſula Mumiæ, juxta triplicem Columnarum ſeriem, *quarum media* aureis, *reliquæ è lateribus* nigris *notis deſcriptæ cernuntur.*


COntinentur in hoc Hierogrammatiſmo trino Columnarum ordine diſtributo, Influxus Supremi Numinis per *Horum*, *Anubin*, *Thauſtum* ſive *Oſirin* & *Mophta*, in fidei ſuæ commiſſorum Corporum conſervationem, variis ſacrificiis, ritibus & cærimoniis obtinendi. Et quoniam *Symbola hieroglyphica*, fere ubique eadem ſunt, & moleſtum ſit *Ideali* illa *lectione* ſemper repetere, opportunius me facturum exiſtimavi, ſi, hoc loco, ſolummodo ea *Sym-*



bola quæ frequenter occurrunt, explicem, rationes arcanas & cauſam occaſionemque cur ab *Ægyptiis* in ſacrum Symbolorum numerum recepta ſunt, variis veterum Scriptorum teſtimoniis ſtabilitas exponam: hoc enim pacto Lector paulatim ad abditam *Hieroglyphicæ literaturæ*, veluti manuductus, notitiam pertinget. Cum itaque, uti jam dixi, ſæpe ſæpius eadem occurrant Hieroglyphica, omnia illa quæ majoris ſunt momenti hic ſingulatim enodabo: ex hiſce enim Lector ſagax facile totius Syſtematis Idealem ſignificationem capiet.

Sunt multa *Symbola*, quæ rem ipſam quam referunt ſignificant; uti ☉ Solem, ☽ Lunam, ſimiliaque, quæ κυριολογικὰ, teſte *Clemente Alexandrino*, dicuntur, eo quod ipſum quod exprimunt indicant: nimirum, Clemens Alexandr.

Kyriologica Hieroglyphica ipſis rebus appropriata ſunt: Solem enim & Lunam expreſſuri *Circulum* aut Circuli ſegmentum pingebant, ſi Portam, portæ Quænam ſint Symbola Kyriologica.



figuram, ſi Catenam, catenam, ſi Craterem, craterem, ſi Septum *Apidis*, ſeptum, ſi ſacrum Feretrum, feretrum; ſi ſacram Barram, barram; ſi Traham ſacram, traham; idem de innumeris aliis, quæ paſſim tum in *Obeliſco Pamphilio*, tum *aliis Obeliſcis* occurrunt, Figuris judicandum eſt. Neque tamen ſibi quiſpiam perſuadeat, eos ſimiles res ſine *Myſteriis* adhibuiſſe. cum enim ſummo ingenio pollerent, ſingulas etiam minimas & viliſſimas res, adeo myſterioſa effigiatione exhibebant, ut ignarus rerum, ſignificationem quidem rei, nudumque corticem perciperet, nucleum tamen, ſive Myſticas rationes, nequaquam

Omnia Ægyptiorum Inſtrumenta myſtica ratione conſiciebantur.

quam perviderct. Etſi enim Solem per Circulum exhiberent, ſub *Circuli* tamen proprietatibus variis, varias Solaris Numinis excellentias & prærogativas, ſo-



lis Myſtis notas, una exhibebant. Hoc pacto eas *portas* per quas in *adyta* ſacra aditus patebat, non nudâ tantum figura contenti, ſed architectura Myſteriis plena, efformabant. Idem de Catena, Pheretro, Barra, Cratere, Trahâ, Receptaculo ſacræ Lymphæ ſentiendum. De quibus omnibus, ut dixi, in *citatis locis* copioſè diſceptatum vide.

Verbi gratia, ſequens Hieroglyphicum Schema κυϱιολογικῶς ita interpretamur:

Primum eſt, *Segmentum Horizontis ſuperni*, cum *Cruce Circulo* incluſa, quibus ſupponuntur duæ *Pennæ*, tum *Hieralpha, Tau Anſatum, Pyramis, Vrna Nilotica* funiculis appenſa, *Serpens* cum *Segmento* & *Sceptris*. Quæ quid ſignificent exponamus. *Pennis*, queis nihil in

Pennæ figura quid notet.



Obeliſcis ſe prodit frequentius, ſignificantur Occultæ operationes Supremæ Mentis: unde Conditorem omnium *Deum* denotantes, *pennâ* eum in capite poſita exprimebant. Per *pennam* quidem in capite *aſſurgentem* ſignificabant difficilem inventu eſſe Naturam ejus, & nemini conſpicuam, ſed ſublimem, non modo ſupra ſenſum, verum etiam ſupra humanæ intelligentiæ captum: Humana vero forma eundem vitæ Auctorem, & Motorem, qui intellectu aliquo modo comprehendi poſſit, Circulo indicabant. Quoniam ut hominis corpus quidem cernitur, mens vero ipſa, quæ hominem à cæteris animantibus disjungit, cerni à nullo poteſt: ſic etiam *Dei* ſummi Opificis actiones & motus: qui effectus in *Sacris literis poſteriora* vocantur (non ſecus ac *Ariſtoteles* Effectus *poſteriora*, Cauſas vero *priora* nominat), & ab humano intellectu cerni poſſunt: Mens vero ipſa & Divina Natura, Creatarum rerum Moderatrix, in hujus corporis carcere abſolute cognoſci non poteſt. Quod

Dei effectus cerni à nobis poſſunt, natura minime.

Ariſtoteles.

pulchrè apud *ſecretiores Hebræorum Theologos* innuitur per Quinquaginta portas lucis, quas omnes, præter unam, *Moyſen* ingreſſum ajunt, uti in *Cabala* docuimus. Et ideo, teſte *Porphyrio*, Cœrulea veſte indutum eum pingebant, ut Cœleſtem eſſe illum ſignificarent, & in Cœlo habitare, nullius coloris vel accidentis participem, nullo terrenæ Mixtionis involucro veſtitum, etiamſi nobis fortaſſe tale quid ſuſcipere videatur, & modo iraſci, modo placari: quemadmodum *Cœlum* ipſum, cum *nullius coloris* ſit, propter intervalli longitudinem, tamen Cœruleum videtur. Sed audiamus verba Porphyrii, ſic enim dicit: *Ægyptiorum autem Deorum* Symbola *talia ſunt: Creatorem Ægyptii* Emepht (*melius* Hempta) *appellant; cujus imaginem in forma Hominis faciunt colore cœruleo, Zonam tenentem & ſceptrum; cujus in Capite* pennam *ponunt: ſignificantes difficilem inventu eſſe Creatorem, & nemini Conſpicuum, Vivificum etiam & Regem, & intelligibili motu Circulatum. Hic Deus*, inquit, *ab ore Ovum producit, à quo naſcitur* Deus, *quem Ægyptii* Phta, *Græci* Vulcanum *appellant: ſignificatur autem Ægyptiis Ovo* Mundus.

Deus cærulea veſte indutus cur pingatur.


Porphyrius.

Proſequemur ordine reliqua. Occurrit ſæpius inter *Symbola* hæc Figura:

Hieralphæ ſignificatio.



Jam quid ſibi figura A velit, explicemus. Certe hoc unum ex frequentiſſimis Hieroglyphicis reperiri, illi patebit, qui Obeliſcos penitius contemplatus fuerit,



& ubique per initiales literas Ἀ'γαθὸς Δαίμων exprimitur Ægyptiacè *Hieralpha*. Unde vero ſuam originem ſumpſerit explico: Res ita ſeſe habet:

Ferunt priſci Ægyptiarum rerum Scriptores, inferiorem *Ægypti* partem Mari olim tectam fuiſſe; *Oſirim* autem primum *Ægypti* Regem, cum ex ingenti limi, arenarumque ex *Æthiopia* advectarum coacervatione *Nili* defluxu facta, hunc Maris Sinum, neſcio quid

terre-

terreſtre parturire cerneret, *Nili* aquis in alveos deductis, terram intermediam ab aquis ſeparatam, habitatoribus non aptam tantum, ſed & jucundam reddidiſſe: ingenti vero Serpentum è putrefacto limo natorum copia locum continuò infeſtum reddente, cum multi quotidie Serpentum morſibus, inter quos & *Oſiridis* Navarchus *Canopus*, perirent, *Oſirim* magnam vim *Ibidum* hiſce locis immiſiſſe, quæ devoratis Serpentibus locum brevi tempore expurgatum, à periculis immunem reddiderunt. Multiplicatis itaque *Ibidibus*, cum poſteri notarent dictas aves in varias ſeſe formas, juxta diverſum corporis ſitum, transformare; accedentibus multis aliis, ab *Ibide* receptis beneficiis, eum Genium ſeu Agathodæmona *Ægyptii* à figura, quam pedibus exprimebat, appellantes, in Sacrum Animalium album retulerunt, locumque ipſum à nomine *Agathodæmona* appellarunt. Quod Ptolomæus hiſce verbis docet: Δέλτα μέγιστον ἐκεῖνο καλεῖται καθ' ὃ ἐκτρέπεται ὁ μέγας ποταμὸς, λεγόμενος Ἀγαθὸς Δαίμων. Delta Magnum *vocatur id, juxta quod divertitur fluvius dictus* Agathodæmon. *Ibis* igitur divaricatis cruribus & roſtro iis tranſverſim inſerto, exprimit *primam* Alphabeti Ægyptiaci *literam*, hoc pacto A, quod idem ſonat ac Ἀγαθὸς Δαίμων. Ita Plutarch. Sympoſ. 4. Ἴβις τε ποιεῖ τῇ τῶν ποδῶν ἀποστάσει πρὸς ἀλλήλους, καὶ πρὸς τὸ ῥύγχος, ἰσόπλευρον τρίγωνον. *Ibis*, inquit, *pedum divaricatione, eorum inter ſe & cum roſtro comparatione, triangulum refert æquilaterum.* Et lib. 9. Sympoſ. Quæſt. 3. Ἑρμῆς λέγεται θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ γράμματα πρῶτος εὑρεῖν· διὸ καὶ τὸ τῶν γραμμάτων Αἰγύπτιοι πρῶτον ἴβιν γράφουσι, ὡς Ἑρμῇ (Ἀγαθοδαίμονι) προσήκουσαν. Mercurius *primus Deorum in Ægypto traditur inveniſſe literas, atque adeo* Ibin Ægyptii primam literam *faciunt*, Mercurio *videlicet* (Agathodæmoni) *convenientem.* Habemus quomodo *Alpha*, primam literam *Ægyptiorum*, ex *Ibidis* ſitu didicerint Ægyptii, nunc quomodo Δ ex *Ibide* natum ſit, Accipe.

Ibium in Serpentes immiſſio.

Ibis cur Agathodæmon dictus.

Ptolomæus.

Prima Ægyptiorum litera ex Ibi deſumpta.

Plutarchus.



Tertia litera fuit deſumpta ex divaricatione pedum *Ibidis*, omiſſa roſtri inſertione: ſic enim cum plano terræ exacte Δέλτα exprimebat: ut proinde locum hunc *Ægyptii* Mari vicinum non alio nomine quam *Delta* inſigniverint, & poſteri hanc appellationem uſque ad noſtra tempora retinuerint.

Putabant enim *Ægyptii Mercurium* ſub *Ibidis* forma, varias literarum formas humano generi tradidiſſe; ac inter cætera per formam Δ, quomodo *Nilus* dividendus ſit, ut tellus illa aquis paludibusque ſubmerſa fructifera redderetur, & hominum habitationi apta, docuiſſe. Unde forſan à ⲁⲁⲗⲟⲧⲓ quod *Coptice* nihil aliud, quam *bonum agrum* ſignificare reperio, nomen huic literæ ⲗⲁⲗⲧⲁ fuerit impoſitum. Certe *Delta* ab *Ibi* ſumptam, Pauſanias apud Pierium lib. 17. docet his verbis: *Eſt & alia ratio cur* Ægyptum *hieroglyphice ſignificarint* Ibes, *nempe quod* Regio Delton à Δ *Græcæ linguæ figura nuncupata, eam cum* Ibibus *ſimilitudinem habeat, quod* alites hæ literam Δ *eo inceſſu pedum interſtitio ad æquales trianguli lineas deducto ſignare videntur; idemque roſtrum patefactum ſignat.* Et lib. 47. de ſeptem literis, *Mercurium*, inquit, *qui primus literas* Ægyptiis *communicavit*, Ibim primam literam *eſſe voluiſſe; refert ſiquidem ea inceſſu triangularem effigiem, cruribus ita diſpoſitus, ut ſuo loco dictum eſt: & quæ* prima *apud* Nos & Græcos litera *eſt, ad Iſoſcelis trianguli ſpeciem accommodatur.*

Δ litera quid ſignificet.

Pauſanias. Pierius.

Pyramidis ſymbolo Animam humanam igneæ naturæ eſſe inſinuare (utpote quæ corpori non ſecus ac baſi, ſeu

Quid Ægyptii per Pyramides indicent.

ignis ſomento adhæreat) voluiſſe videntur, dum magnifica Regum atque Heroum Sepulchra ſub ingentibus *Pyramidibus* conſtruxerunt; ut teſtarentur, Corpore ſoluto & corrupto, animam ſupereſſe, quæ cum Summo Opifici viſum eſſet, hoc eſt, *Circulo* illo *Hermetico* 36500. annorum completo, aliud corpus ſubintrandum electura ſibi eſſet: ea fere ratione, qua *Pyramis*, ut Geometris notum eſt, vertice immoto manente, circumducta baſi, *Circulum* deſcribit, & toto corpore *Conum*; ut Circulus annorum illud curriculum ſignificet, Conus vero corpus, quod curriculo illo conficitur. Nam *Ægyptiorum* fuit illa opinio, de rebus ad eundem ſtatum 36500 annorum ſpatio reſtituendis, & ab illis accepit *Plato*: qui & in Timæo ait, *Sic factam fuiſſe* à Deo animam: *Vnam accepiſſe illum ex Vniverſo portionem*, quæ procul dubio unita puncto illi, quod in Pyramidis vertice eſt ſignificatur: *Secundam autem primæ partis duplam, Tertiam ſecundæ ſeſquialteram & primæ triplam, Quartam ſecundæ duplam, Quintam tertiæ triplam, Sextam primæ octuplam, poſtremo Septimam, quæ partibus viginti ſex primam excederet. Poſt hæc Dupla & Tripla intervalla replevisse.* Quibus *numeris* certe nihil aliud ſignificat, niſi expanſionem illam Linearum, quæ à puncto ad baſin tractæ angulos efficiunt, & per *intervalla* ipſas ſuperficies, quæ lineis clauduntur. Ex quo apparet illum hæc quoque ab *Ægyptiis* accepiſſe. Hinc *Ægyptii* illud veluti ſummæ energiæ periaptum geſtabant, tum ad avertendos malorum occurſus, tum ad propitiandum Supremum Numen, ut ſoluto corpore per Metempſychoſeos varias revolutiones tandem inter Heroas & Secundeos deſideratum locum conſequerentur: de quibus vide *in Aſtrologia* noſtra *hieroglyphica* affatim tractatum.



Annus magnus Hermeticus quid.

Anima compoſitio ex Platone.

Oedip. T. 2. 2. p. 113.

Solebant Hieromyſtæ inter cætera Sacrificiorum utenſilia, *vaſa* quædam adinſtar *quatuor phialarum* conjunctarum concinnare, quod Ægyptiace ἐπαρηστήριον, id eſt, *emunctorium Oſiridis*, ſive *Oſiris* ἀπόρροιαν ſeu *effluxum* vocabant.



Eparisterium Ægyptiorum quid.

Replebantur autem hæc Vaſa Sacri fluminis lympha, eaque myſtica quadam ratione ita adornabantur, ut nihil ad *Oſiris* attractum potentius fieri aut fingi poſſe ſibi perſuaderent; erant Cruce ſignata, qua in quadripartitas Mundi plagas *Oſiridis* notabatur *aporrhœſa*: per hæc enim *Oſiris Niloticus* in omnem ſeſe Mundi partem, per Benefici humoris canales, per vaſa illa Ventricoſa exonerare credebatur: quæ uti *Niloticæ aquæ* ſacræ replebantur affluxu, ita quoque continuo aquæ effluxu inter Sacrificia per duos canales exonerabantur. Ut hoc pacto quadripartito Humidæ naturæ fluxui, horum vaſorum fluxus analogus, κατὰ τὴν ἀναλογίαν, undequaque correſponderet. Et quamvis pro ſic compactis in unum phialis in aliis Schematis fere ſemper una tantum, aut 2, pro ratione ſignificationis, ſpectentur, hic tamen, inquam, 4 ponuntur; quia, uti paulo poſt dicetur, 4 Naturæ Geniis præſidibus exhibebantur; unde & juxta 4 Anni ſtationes exponebantur, in duobus Solſtitiis & Æquinoctiis: forſan quoque eo Vaſa hæc conſtituebantur artificio, ut unà iis loco Chronometrii ſervirent. Vide quæ de hujuſmodi ingenioſis *Ægyptiorum* Machinis *in ſecundo Tomo Oedipi, Syntagm. de Mechanica Ægyptiorum*, ubertim tradidimus.

Videntur hæc Vaſa in multis aliis hieroglyphicis Inſcriptionibus; præcipue in illo fragmento Obeliſci, quod è regione Eccleſiæ *S. Ignatii* in angulo domus pharmacopœi inſertum ſpectatur: vide, Lector, quæ de illo Symboliſmo *tertio Tomo Oedipi, Syntag. de Canopis*, tradidimus. Sed & ſpectatur quoque bis ſub forma melius expreſſa in limbo ſuperiori & laterali *Tabulæ Bembinæ* ſeu *Menſæ Iſiacæ, Oedipi Tomo* III, uti vides in præſenti figura *Num.* 23. ex *citatæ Tabulæ loco* extracta: ubi vides Aram

in



in qua duo Vaſa ponuntur, intra quæ Humor ex dicta *Epariſterii Phiala* ſua Cruce ſignata utrinque ſe exonerat, quam circumſtantes, *Numero* 21 & 22 *in* ead. *Tabula Bembina*, *Cynocephalus*, Vas in manu ſiniſtra, deinde *Horus*, Vas in manu dextra tenens, ſupplicare videntur Supremo Numini, cui ſubſtant. ex altera parte, *Num.* 23, ara ſtipatur flore *loti* è capreolis vitigineis, unde & *Fons Vitigineus Hecates* dicitur, ut poſtea exponetur: quæ ſequitur, *Num.* 24, ἱερακο-λεοντο-σφὶγξ, id eſt, *Sphinx* ſub *Leonis* forma, facie vero *Accipitrina*, in cujus capite Circulus Lunæ-Solaris cum flamma emergente conſpicitur: per quæ Hierogrammata, omnia quæ hucuſque de *Epariſterio* dicta ſunt, pulchrè & concinnè abſtruſiſſimis ſymbolis indigitantur: ſumma ſignificationis hæc eſt; *Sol ſupramundanus ſeu* Hempta, *ut vocant*, *influit in aqueæ & igneæ ſubſtantiæ œconomiam, & Fontanos Patres, qui ei præſunt; unde reſultat Fons vitigineus, cujus derivatione omnia quæ in Mundo ſunt, aluntur & conſervantur.* Quæ ut intelligantur ſciendum eſt, ſi Ignis & Calor in Mundo tantummodo forent, totum Mundum ardore & ſiccitate perditum iri; contra, ſi ſola Humiditas dominaretur, Mundum humiditatis exuberantia neceſſario deſtructum iri. Sapienti itaque conſilio à Suprema Mente (quæ per *Globum Alatum Serpentiferum* ſignatur) conſtitutum fuit, ut Calidum Humido apte attemperaretur, atque adeo Mundus hujus miſcellæ temperie conſervaretur. Sed jam ſingula explicemus.

Fons vitigineus Hecates.



Globus triformis influxum Supremi Numinis exhibet. *Triforme Numen* dicitur, eo quod Supremam Divinitatem, per Globum indicatam, in ſe contineat; *ſecundo*, Spiritus ſit univerſalis, per *Alas*, queis ſumma Velocitate omnia penetrat, ſignatus; & denique Vitam rebus omnibus per *Serpentem* notatam tribuat. Et primo quidem influit in Solem & Lunam, ſeu, quod idem eſt, in Intelligentiam ☉ & ☽, cujus ſymbolum eſt *Sphinx* ἱερακόμορφος ſeu *Accipitri-formis*, cum Circulo Lunæ-Solari in capite, & flamma ſeu Aſpide (quæ promiſcue hujusmodi ſchematis imponi ſolent) medio Circuli incluſa; quibus Solis & Lunæ, ſive *Calidi* & *Humidi*, ad Mundum vitalibus influxibus animandum, unita vis ſub miniſterio Momphtæ intelligitur, quæ maxime Sole in *Leonem* ingrediente in *Ægypto* viget; quæ deinde in Terram derivata, ulterius actuanda committitur *Canopo Momphtæ* Miniſtro, quem *Sphinx* pedibus tenens Supremo Numini veluti offert: Cujus officium eſt Spiritus Igneos Aquæ ſubſtantiæ commixtos, per univerſas Mundanæ Domus, quæ per *Horum* ſupplicantem (*Num.* 22) & ad recipiendum ſemper paratum indicatur, Canales & Crateres derivare, Genio Lunari, quem *Cercopithecus* (21) exprimit cooperante. Unde (24) *Sphinx Accipitrina*, *Cercopitheco* (21) opponitur; quia illud notat, Calore ſuo igneo principium activum rerum, hoc verò Humiditate ſua paſſivum: Unde cunctorum, quæ in Inferiori Mundo ſpectantur, Geneſis ortum ſuum habet.

Geneſis cunctorum in Mundo Inferiori à quibus Intelligentiis.

Fons itaque, ſive *Epariſterii* Phiala Cruce ſignata, notat Beneficia, quæ per jam expoſitos Genios Mundo & quatuor Elementis, per quatuor Mundi partes diffuſis, communicantur. Quæ in Oraculis *Zoroaſtris*, penè ad oculum demonſtrantur; ſic enim ait Zoroaſter de Vitigineo fonte loquens: Fons fontium, & *fontium cunctorum matrix*, *continens omnia*; *unde affatim exilit generatio multifariæ materiæ*; *inde tractus preſter ſubtilis*, *ignis flos*, *Mundorum indens cavitatibus omnia*, *namque inde (omnia)*, *cum incipit deorſum tendere radios admirandos*. Et deinde, ipſas *Intelligentias* deſcribens paulo ante expoſitas, dicit;

Zoroaſter.

Flos Mentis quid, & quo faciat.

cit; *Eſt enim quoddam Intelligibile* (id eſt, Numen ſupremum), *quod te oportet intelligere mentis flore* (id eſt, per abſtractum & purificatum intellectum); *Eſt & roboris circumquaque lucidi potentia, mentalibus fulgens ſectionibus* (quas Nota A *in Tabula Iſiaca* exprimit), *induta igni ignem vinculorum, ut temperet fontanos Crateres, & amore impleat omnia, examinibus feruntur ſimiles, prorumpunt per Mundi corpora.* Habes hic, Lector, paucis pro vaſtitate materiæ *Epariſterii*, ſive *fontis Hecatou* Myſteria expoſita; qui plura deſiderat, is adeat noſtra ſimilis argumenti *Tomo* 2 *Oed. part.* 1, *fol.* 135. ubi omnia penitus evoluta reperiet.

Oedip. T. 3. p. 142.

Ægyptii ut omnia Myſtica quadam ratione ſibi conſtarent, non Animalia tantum, ſed & adeo *Inſtrumenta* ipſa, quæ in uſum Sacrorum adhibebantur in *Hieroglyphicorum* album receperunt. Sunt ea varii generis; quædam in ornamenta Capitis ſymbolicam cedebant ſacrorum Simulacrorum, uti Tutuli, Struppi, Cidares, Tiaræ è variis materiis confectæ; nonnulla manibus inſerebantur Deorum, uti Baculi, Sceptra, Tauticus character, Siſtra, aliaque innumera, quæ pro diverſitate Numinum è diverſa quoque materia fiebant. de quibus vide Hierogrammatiſmum Vegetabilium de *Sceptris* & *Thyrſo in Obeliſco Pamph.* Erant præterea variæ Ararum Sediumque formæ, quibus inſidentia Numina veluti poteſtate ſuprema prædita, rerum potiri videbantur. Quorum quidem omnium rationes Myſticæ, *Lib.* 5 *Ob. Pamph.* & *in Tabulæ Bembinæ* interpretatione, ubi ſumma cum varietate exhibentur, explicatæ ſunt; ut proinde ſupervacaneum eſſe ratus ſim, hoc loco peculiares de iiſdem Hierogrammatiſmos attexere.

Struppi & Tutuli inter Hieroglyphica.

Per *Sceptrum* κυνόμοςφον, indica-



bant *potentiam Anubicam* rerum omnium ſub *Hempta* Moderatricem, variiſque modis pro adjunctorum Symbolorum appoſitione exprimebant: ſiquidem Altari junctum, uti paſſim in hac



Mumia, cultum *Anubi* exhibendum notat. Myſtæ vero ut ejus prærogativas fuſius exprimerent, id prout in appoſito *Schemate* patet, præſtabant. Habet in capite *Anubis*, Globum ſerpente ſœtum & pennam ſupra, brachiis dependentibus, manibus contractis veluti ſumma vi aliquid attentaturus; Zona ad mamillam cinctus, cæterum exceptis femoralibus Nudus, uti in hic adjuncta *figura* patet. *Penna* Volatum, *Globus ſerpente* fœtus, Dominium Vitalis in Mundo motus notat, *Nudis* & ſubtilibus *membris*, Nudus à cognitione humana notatur; *Caninum caput* indicat Sagaciſſimæ mentis providentiam, *Zona* pectori circumdata, Mundi partium rectricem potentiam; *Velo* ſacro tectus eſt, ad Infandam ejus potentiam innuendam. Vides igitur Verticem *penna* ſublimem, vides *Sceptrum*, vides *Crucis* anſatæ myſterioſam notam. Per *pennam* non ſolum, ut *Porphyrius* vult, *Deum* inventu difficilem ſignificabant; ſed quod Divinæ eſſentiæ cognitio eſt ab humano intellectu remotiſſima; quia ſicut *penna* avium corpora in altum aërem, quo nos pervenire nequimus, elevat: ſic ineffabilis illa *Dei* eſſentia adeo eſt alta, & adeo intellectus capacitatem excedit, ut ad eam cum plena cognitione pertingere nullo modo poſſimus. Unde & *Pſalmographus*, monſtraturus quantum Divina eſſentia intellectus noſtri exiguitatem excedat, dicit, *quod* Deus *volet ſupra pennas ventorum, & poſuerit tenebras latibulum ſuum.* Sanctus Dionyſius Areopag. *Penna*, inquit, *declarat & ducendi celeritatem, & quod cæleſte eſt, & quod movetur, & quod ab omni rerum terrenarum ſtudio & cupiditate abhorret; propterea quod ſurſum feratur; pennæ autem levitas, id quod nulla ex parte eſt terrenum, ſed totum ſine admixtione & gravitate, ſurſum effertur.*

Pennarum ſymbolum quà cognitionem Dei.

Porphyrius.

Dionyſ. Areopagita.

Cum nihil inter Hieroglyphica ſymbola



bola *Serpente* frequentius occurrat, quid *Ægyptii* per hujuſmodi *Symbola* indigitaverint, hoc loco exponendum eſt. Sciendum itaque *Ægyptios*, uti curioſos naturæ omnium fere Animantium *Ægypto* propriarum inveſtigatores, ita & Serpentis fuiſſe. Cum enim viderent, *Serpentem* nullo manuum pedumque miniſterio, ſolo oblongo corporis tractu procedere; nullo præterea membro, præter os, conſtare; animal igneo ſpiritu plenum, vivax, ſenectutem quotannis, depoſito veteri exuvio, in juventutem inſtaurare; fieri non poſſe crediderunt, quin aliquid magnum, excellens, & prorſus divinum ſub iis lateret: accedebat hiſce, quod undulato illo plicatilis corporis Motu omnes prope figuras exprimeret; dum videlicet nunc caudam capiti admovens in Circulum contortum, Æternitatem, jam in Spiras convolutum, Sphærarum Cœleſtium volumina præfert; jam in longum extenſum, lineam rectam, jam curvam, jam figuram planam, modo corporis erectione Normalem, jam multifario Squamarum ordine, veluti totidem Stellis rutilum, Sibilo quoque & Triſulca lingua formidandum ſe exhibet. Hæc, inquam, dum contemplarentur *Ægyptii* in *Serpente*, eum tanquam reconditiſſimum præſtantiſſimarum rerum Symbolum adhibuerunt. Verum quæ & qualia per eum connotarint, videamus.

Quid per proprietates Serpentis *expreſſerint.*

Epies Phœnix *de Aſpide.*

Euſebius.

Primo itaque *Epies Phœnix*, apud Euſebium, Deum *Emepht* Serpente ſeu *Aſpide* ſignificatum, his verbis docet:

Draconis & Serpentum *naturam ipſe* Thautus (*uti* & Phœnices *ac* Ægyptii) *divinam putavit.* Spiritualiſſimum *enim omnium* animal, & *igneum ab ipſo traditum. Nam ſpiritu, abſque manuum aut pedum aut omnino alicujus organi exterioris argumento, ut cætera videmus animalia ferri, eximiam* celeritatem *aſſequitur*, variasque figuras & *formas gradiens, involuto revolutoque uti & ſpirituformi, ad quam vult celeritatem greſſu, facillime præſtat.* Longævum *etiam eſt*; *nec ſolum ſenectutem cum pelle deponens* rejuveneſcit, *ſed creſcit etiam in adoleſcentiam reductum: cumque determinatos adimpleverit terminos, in ſe ipſum revolutum, rurſum* reviviſcit, *ſicuti in Sacris pariter ipſe* Thautus *conſtituit: Quapropter in Sacris hoc animal, & in Myſteriis fuit aſſumtum: de quibus & in aliis ſuis propoſitionibus plura adducit: In quibus refertur, quod* immortale *ſit*, & *in ſe ipſum, ex quo provenit, reſolvatur*: non *etiam* moriatur morte propria *hoc animal, niſi violentâ percuſſum interierit. Hinc* Phœnices *ipſum vocant* bonum Dæmonem, *ſicut* Ægyptii Kneph *appellant.*

Longævitas *Serpentis.*

Aſpis *Bonus Dæmon à* Phœnicibus *dictus.*

Apte itaque naturam Divinam per *Serpentis* naturam & operationes notabant; quæ omnia ex dictis patent. Hinc *Græci*, teſte eodem Euſebio, *Æſculapium*, Salutis Numen, τῆς σωστικῆς δυνάμεως σύμβολον, *Serpente* referebant: *Serpens* circumvolutus *ſalutis* corporis & animæ Ferens *ſymbolum. Mundum enim contemplantes* Phyſici, *cætera quidem reptilia craſſioris dicunt* & *terreſtris eſſe ſubſtantiæ*, Serpentem *vero* ſpiritaliſſimum *animal; quod* & imbecillitatem *corporis* exuat, & ad medicinam aptiſſimum *eſſe videatur. Nam* & *ad acuendum viſum* invenit pharmacum, & *ad reviviſcendum* herbam *quandam* noſſe *narratur. Præterea* Ægyptii *Mundum ſignificantes*, Serpentem *pingunt, qui caudam propriam depaſceretur, eumque variis maculis inſignem depingebant*: de quo Claudianus,

Euſebius.

Æſculapium Græci *per* Serpentem *exprimebant.*

Perpetuumque virens ſquamis, caudamque reducto
Ore vorans, tacito relegens exordia lapſu.

Claudianus.


Serpens in circulum tortus quid?

Quod procul dubio ſignificat omnia, quæ Divina providentia in Mundo generantur, ab eadem & ſolvi ſive paulatim imminui atque deficere ac in ſe quaſi recipi; fierique id propemodum juxta illud, *In id reſolvimur, ex quo ſumus*: quod paulo ante hiſce verbis

Euſebius.

pulchrè indicat Euſebius ex mente *Phœnicum*, cum de natura *Serpentis* loqueretur, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναλύεται ὦ περιπεφύκειται· Ut vel inde appareat, Mundum ex ſe ipſo ali & in ſe reſolvi. Nam cum æterna ſint Elementa, neque corruptione, neque variatione per ſe ulla immutentur; corruptioni tamen ac variationi ſubjecta videntur, ea parte, qua Specierum informationi admiſcentur; incolumi permanente ſemper ſubſtantia.

Iterum cum viderent *Serpentem* terreſtris ſubſtantiæ, & ex putri, ut plurimum, genitum, tortuoſo corporis tractu Fluctuationis rudimenta, ſibilo ſonoque formidabili Aërem, tota præ-



Quid Squamæ & ſibilus Serpentis indicet.

terea ſubſtantia ſquamarum ſplendentium ornatu, neſcio quid Igneum exprimere; haud incongrue quatuor Elementa per id indicare conſueverunt; per Corpus quidem, quod terreum & graviſſimum eſt, Terram, per Tortuoſum corporis tractum, utpote qui undarum fluctuationes exprimit, apte ſane Aquam, per Sibilum verò rectè Aërem, Subjectum Soni, Ignem denique totius Vigore ſubſtantiæ, & tricuſpide lingua, Ignis ſymbolo, appoſite denotabant. Quæ omnia *Horus lib.* 1, *cap.* 2 innuit. Porro, quamvis per *Serpentem* dicta quatuor Elementa exprimerent, non tamen ſingula eodem modo, ſed diverſo *Serpentis* ſitu & conformatione exponebant. Sic Vitalem Terræ ſpiritum, vel ipſam *Terram*, quam *Meſi*, vel *Ophta*, id eſt, *Genium omnia moderantem* vocant, per *Serpentem proſtratum* & bicornem, cujuſmodi nihil in Obeliſcis frequentius eſt, depingunt.


Quomodo Elementa per Serpentem expreſſerint.

Terra Ægyptiis Ophta

ⲙⲉⲥⲓ ⲟⲫϯ



Aquam verò denotantes, *Serpentem* pingunt *tortuoſo* corporis *tractu*, Undarum volumina exprimentem; cujuſmodi eſt *Serpens* quem in *quinto libro Obeliſci Pamphilii* exhibemus, in expoſitione Figuræ ex *Barberinorum Gazophylacio* eductæ, ut eſt in *præſentibus Figuris* B. *Deorum* itaque in Zodiaci Annique adminiſtratione *curam* indicaturi, *Serpentem* pingebant *undulatum*, ſive in Aquæ fluentis formam diſpoſitum; ut exprimerent Gyros, quos Sol motu ſuo, veluti in Cœleſtis Æquoris undis, per 12 Signa, totidemque Menſes, conficit, omnium, quæ in Mundo ſunt, rerum



productionis cauſam eſſe. 12 Signa & Menſes apte per Serpentem tortuoſum indicatos vide. Quia verò 5 dies *Anno* Solari *Ægyptiaco* ad 360 deſunt, hoſce ſignificare voluerunt per quinque Gyros principales, quibus totidem Genii inſident, & ſunt *Oſiris* Accipitrinâ, *Iſis* Humanâ, Caninâ *Anubis*, *Mophta*

Leo-

Leoninâ, *Hermanubis* denique Ibidis facie, totius *Anni*, *Ægyptique Tutelares*: *pennas* in manu habent, ut iis Occultum agitationis motum innuerent: atque hoſce veluti Temporis Moderatores, Rerumque omnium totius anni decurſu in inferiori Mundo naſcentium Tutores, Conſervatoreſque coluerunt. Quid vero proprie per 5 iſtos Anni Tutelares, ſeu Deorum Natales, indicetur, Plutarchus ſcite docet: Rheæ *ajunt occulte cum* Saturno *congreſſæ* Solem, *qui id flagitium deprehendiſſet, imprecatum fuiſſe, ut neque in* Menſe, *neque in* Anno *pareret: ſed* Mercurium *amore Deæ captum, cum ea congreſſum, ac deinde in ludo cum* Luna *Victorem Septuageſimam partem cujusvis diei abſtuliſſe, ac* 360 *diebus adjeciſſe, qui* 5 Dies *nunc ab Ægyptiis* Miſi, *à Græcis* Epagomenæ, *id* eſt, adjectitii *vocantur, & veluti* Natales Deorum *feſti aguntur*. Genius aquarum,

Mophta *Numen Aquæ præſes.*




Mophta dicitur, hoc eſt, à *Moi* & *phta*, quorum illud *aquam*, hoc *Copticè Deum* ſive *Genium* notat. *Aërem* vero exprimunt per Sibilum *Serpentis jacentis & triſulca* lingua veluti *ſibilantis*: per Triſulcam linguam tres Aëreos Mundos, in quos dominium ſuum exercent, notabant. Unde *Zeuta*, id eſt, *vitam* hujuſmodi Characterem appellabant. Porro *Ignem* ſignificaturi,

Unde Zeuta *dictum.*

Aſpidem erectum, vel altari, vel vertici Deaſtri alicujus impoſitum, cujus capiti Globus inſiſteret, pingebant: quo *Igneam* quandam *vim* Univerſum permeantem indicare ſolebant: atque huc reſpiciunt ea, quæ paulo ante ex *Euſebio* & *Horo* adduximus. hanc vim quoque notabant per Circulum, cui *Serpens* inſertus, Θ *Græcum* aut *Coptum* exprimeret, quam *Thauta* vocabant;

ⲍⲉⲩⲧⲁ
id eſt *vita.*



quo, teſte *Euſebio*, Spiritum Igneum toti Univerſo infuſum apte ſignabant. *Spiritum* verò *Mundi* eo quo conſpices modo exprimebant, uti ex *Tabula Bembina* patet: Vides hîc *Aſpidem* Accipitrino capite conſpicuum, Alis expanſis in volandi actu conſtitutum, Cauda producta, & in Volumina contorta: quo *ſchemate*, Spiritus Mundani *Igneam* quandam vim & efficaciam, qua omnia penetrat, innuunt, uti prima figura in Schemate oſtendit.

Diverſitatem ſignificationum Serpentum Schema *è regione notat.* Euſebius.



Patet itaque cur per *Serpentem* Mundani ſpiritus Vitam in omnia diffuſam, & *cur* ex vilibus Elementaris miſcellæ principiis, tantam Rerum varietatem expreſſerint.

Cum igitur *Signum* T Character fuerit myſticus, & proprie *Hebræis* in ſumma veneratione, *Ægyptii* autem pleraque ab Antiquis *Hebræorum* acceperint, quemadmodum conſtat ex *Clemente*; veriſimile eſt, cum ex dictis, tum ex ratiocinatione *Abenephi*, hunc Characterem quoque ab *Hebræis* mutuatos eſſe *Ægyptios*, utpote curioſos figurarum obſervatores; utriſque quidem Myſticum, ſed diverſorum Myſteriorum ſignificatione diſſipatum. Dicimus

Crux anſata *idem quod* Tau Hebræorum, *à quibus Ægyptii eam acceperant.*

Abenephius.



igitur, *characterem hunc* apud *Ægyptios Tauticum* celeberrimum, non præciſe ſignificare Vitam venturam, quemadmodum vult *Ruffinus*, *Suidas*, aliique Auctores; ſed veriſimile eſt, totum hunc rumorem exortum eſſe à *Iudæis*, qui tum temporis *Ægyptum* exules pervagabantur: videntes enim Signum hoc T toties in Imaginibus eorum repetitum, paſſim *Salutem* ſuam ſeu Vitam venturam ex Patrum ſuorum traditione interpretabantur. Nos vero congruentius dicemus cum *Abenephio*, illum Characterem nihil aliud apud *Ægyptios* ſignificaſſe, quam *Divinæ Mentis in rerum omnium productione motum & diffuſionem*. Quam alta itaque & ſublimia per *hunc Characterem* denotarint *Ægyptii*, penitus diſcutiamus. Quamvis Character ille forma multiplex reperitur in *ſacris Sculpturis*; nos tamen hic de Charactere hujus loci proprio, qualem nimirum ſacris Simulacris ut plurimum appoſitum videmus, agemus: de alio Chara-

Ruffinus. Suidas.

Abenephius.

Crux anſata Divinæ Mentis motum *in omnia diffuſa notat.*

H 2 ctere

ctere *Crucis Andreanæ* formam præ ſe ferente fuſè egimus *in Prodromo, & in Explicatione Tabulæ Bembinæ*; quamvis etiam hi Characteres iidem ſint.

Conſtat igitur *Character iſte* duabus heterogeneis lineis, circularibus, & rectilineis; apparetque nihil aliud eſſe, quàm characterem illum, quo antiqui *Aſtronomi*, *Ægyptios* ſecuti, denotabant *Mercurium*, ſic ☿, unde & *Characterem Tauticum* dicebant. Per *Circulum* denotabant Divinæ Mentis diffuſionem in Mundum Sidereum,& per *Crucem* diffuſionem in Elementa; quem lapſum elegantiſſime expreſſum hieroglyphice videmus *in Obeliſci Lateranenſis*, *lateris primi tertio hierogrammatiſmo*, hoc ectypo: Serpens ἱερακόμορφος ex *Circulo* prodiens ſeſe inſinuare videtur Mundo huic ſenſibili, per *Crucem anſatam* ſignificato; adeo quidem, ut *Circulus* nihil aliud niſi Motum Divinæ Mentis, ut *ſupra* fuſe demonſtravimus, ſignificet.



Serpens autem ἱερακόμορφος, nihil aliud niſi Spiritum illius, qui per univerſam Mundi molem diffunditur; uti fuſe in Hierogrammatiſmo decimo ſeptimo, *Serpentis, in Obeliſco Pamphilio* actum eſt. Hinc *Anaxagoras* quatuor Elementis conſtitutis,& per *Crucem* indicatis, iis Motorem adjungit, ſive Spiritum, ſive *Deum*, ſive Mentem, ut *Proclus* interpretatur, per quem hæc quatuor regantur. Advertebant enim *Ægyptii* duos potiſſimum *ſimplices Motus* in rerum natura eluceſcentes, *Rectum* & *Circularem*; hunc per Circulum, illum per rectas exhibebant: Elementa enim extra ſedes naturales dimota, ſuos ad eaſdem reditus non aliter ac per rectas lineas facere, experimento comprobant.

Anaxagoras.

Proclus.

Non igitur incongrue per *quatuor lineas rectas*, ex unico puncto individuoque in contrarias excurrentes partes,quatuor Elementorum (in quæ Elementa, ſingula tandem reſolvi poſſunt) innuerunt myſterium. Confirmant hoc ea, quæ *in Cabala Saracenica* me annotaſſe memini: *Philoſophi & Medici* Ægyptii, *partim* Indiæ & Græciæ, *indicaturi quatuor* Elementa, *quadratum ſub figura* Crucis *pingebant*.

Cum verò Myſticus ille Character plerumque tum *in Bembina Tabula*, tum *in Obeliſcis*, cæteriſque ex *Ægypto* adductis Idolis ſpectetur, quibus ut plurimum ille Character manibus inſertus, uti ſupra in *Oſiridis* ſtatua cernitur; mira alicui forſan videri poſſit hujus ratio; quam proinde paucis explicemus.

Notandum igitur *Ægyptios* hujuſmodi Characteres myſterioſos in magna ſemper veneratione habuiſſe; non tantum ob ſumma quæ in ſe continere videbantur myſteria, ſed vel maxime, quia hujuſmodi Charactere, naturali quadam ſympathia, Genios cœleſtes allici poſſe perperam credebant. *Mundum* enim cum dicerent eſſe veluti Animal quoddam, in quo partes quamvis loco diſtantes propter naturam tamen unam ad ſe invicem ferantur, ipſamque Conciliatricem Mundi & Cauſam communem omnium Miſtionum, trahere ad ſe invicem partes, ut *Iamblichus* ait, ſuapte natura: hinc ejuſmodi tractus & appetitus arte quadam præter ordinem augeri poſſe exiſtimabant. Nam,ut recte Jamblichus, Ægyptii *imitantes ipſam Univerſi naturam fabricamque Deorum, ipſi quoque Myſticarum reconditarumque notionum Imagines quaſdam in Symbolis conficiendis oſtendebant; quemadmodum & Natura rationes occultas in apparentibus formis, quaſi Symbolis, exprimit, & Dii veritatem Idearum per manifeſtas Imagines explicant; præſertim cum perſpicerent, Superiora omnia Inferiorum ſimilitudine delectari; atque inſuper optent à Superioribus bonitate repleri, quatenus, pro viribus imitentur, merito & ipſi convenientem Superis modum agendi pro viribus offerunt, quando occulta Myſteria Symbolis inſerunt manifeſtis: in quibus interpretandis, Dimitte voces, accipe ſenſus.* *Ægyptii* igitur hujusmodi Symbolum ſub certis temporibus Cœlique ſitu efforma-

Tauticus Character efficax amuletum Ægyptus.

Jamblichus.

Superiora Inferiorum ſimilitudine delectantur.

formabant, maxime ſub *Ariete* & *Mercurio*, ex quibus Signis conſtituebatur Character; Sole enim in *Ariete* exaltato, & Luna cum *Mercurio* conſiſtente maximam virtutem cœlitus acquirere arbitrabantur, tum ad Genios, in divinationibus



perficiendis rerumque inveſtigatione, eliciendos, tum ad contrarios Genios *Typhonios* propulſandos. Unde hunc Characterem varie ab Hierogrammatiſtis veteribus expreſſum fuiſſe reperio; *primo*



ſub Taurina facie, qui & ſecundi in Zodiaco Signi character eſt; *ſecundo* per Circulum cum ſextilis Lunæ phaſi, cui Crux adnectitur, & *Mercurii* proprius Character eſt; *tertio* per characterem Veneris, cui Cornua Arietis ſuperimponuntur; per primum, *Aſpidem*, per ſecundum *Anubidem* ſeu *Mercurium Ægyptium*, per tertium *Iſin* ſeu *Venerem Ægyptiam*, cujus fœcunditas per Cornua *Arietis* indicatur, exprimere ſolebant. Sed jam hæc amplius exponamus. Pingebant *Ægyptii* Circulum, quo *Solem* referebant, Stellarum omnium principem & Cœleſte numen, utpote à cujus benigna luce cuncta animarentur. Cum vero ſine Lunæ concurſu Solem nil efficere poſſe viderent, *Lunam* Circulo ſuperimpoſuere, quod *Connubium* ☉ & ☽ appellabant. Præterea cum ☉ & ☽, omnem virtutum effluxum, potiſſimum in Mundum hylæum ſeu Elementarem exerere comperirent, Characteri ♉ *Crucem* + affixere; quo notabant Spiritus omnia permeantis fœcunditatem; quem deinde *Græci*, veluti Symbolum, ad *Venerem*, Generationis Deam, exprimendam aſſumpſerunt. Atque hac ratione cum Geneticam *Veneris* facultatem, ſparſam & ſeminatam à Deaſtra per omnes Mundi partes, intuerentur, Spiritum videlicet Animæ Mundi, ſive Solis, dantis unicuique formam, vitam, eſſentiam & durationem; cum, inquam, eam inveniri viderent in omnibus rebus, in homine, in beſtiis, in terra, aqua, aëre, igne, in fluminibus, in montibus, planis, vallibus, ſylvis, pratis, plantis, animalibus, *Semicirculum Lunæ*, vel etiam *cornua Arietis*, ei appoſuerunt, ſuffixa *Cruce*, & ortus eſt celeberrimus ille & *ſacer Mercurii Character*, quem nos in Obeliſco Pamphilio, *Spiritum Mundi*, ſeu, quod idem, *omnia ad ſe attrahentem*, interpretati ſumus.

Sed hæc omnia aptè & clarè deſcribit Marſilius lib. 3 De vita cœlitus propaganda, uti ſequitur: *Aliquis autem quæret, quas potiſſimum Cæli figuras Imaginibus imprimere ſolerent* (Ægyptii): *ſunt enim ibi formæ oculis valde conſpicuæ, & à multis, quales ſunt, quaſi depictæ, ut* ♈, ♉, *ſimileſque* figuræ Zodiaci, *& quæ ſunt* extra Zodiacum *manifeſtæ. Sunt ibi præterea* formæ *quam plurimæ non tam viſibiles quam* imaginabiles, per Signorum facies, *ab* Indis, Ægyptiis, Chaldæiſque *profectæ vel ſaltem excogitatæ: veluti in prima* facie Virginis, *Virgo pulchra ſedens geminas manu ſpicas habens puerumque nutriens, & reliquæ, quales deſcribit* Albunaſar, *&c. ſunt denique* Characteres *quidam* Signorum *&* Planetarum *ab* Ægyptiis *deſignati. Volunt igitur Imaginibus omnia hæc inſculpi: ut, ſi quis exſpectet proprium à* Mercurio beneficium, *collocare eum in* Virgine *debebat, vel ſaltem ibi in* ☽ *cum aſpectu* Mercurii, *& imaginem tunc ex* ſtanno *conficere, vel* argento, *in qua ſit totum* Virginis Signum & *Character ejus, Characterque* Mercurii. *Conſtituebant quidem univerſam eorum formam* ad Cœli ſimilitudinem *rotundam; Antiquiores vero* figuram Crucis *cunctis anteponebant; quia Corpora per virtutem agunt ad ſuperficiem jam diffuſam.* Prima *vero* Superficies Cruce *deſcribitur: ſic enim inprimis habet longitudinem & latitudinem: primaque hæc figura eſt, & omnium quam maxime recta, & quatuor rectos angulos continet. Effectus vero Cœleſtium maxime per rectitudinem radiorum angulorumque reſultant: Tunc enim* Stellæ *quam maxime ſunt potentes*, quando quatuor Cœli tenent angulos, *Cardines Orientis videlicet, Occidentiſque, atque Medii utrinque Cœli. Sic vero diſpoſitæ*, radios *ita conjiciunt in ſe invicem, ut* Crucem *inde conſtituant.* Crucem *ergo Veteres figuram*

Marſilius Ficinus.

Stella quando quam maximè potentes ſint

ram eſſe dicebant, cùm Stellarum fortitudine factam, tum earundem fortitudinis ſuſceptaculum: Ideoque habere ſummam in Imaginibus poteſtatem, ac vires & Spiritus ſuſcipere Planetarum. Hæc autem opinio ab Ægyptiis *vel introducta fuit*, vel maximè confirmata. *Inter quorum Characteres* Crux *una erat* inſignis, *Vitam futuram ſignificans, cujus figuram pectori* Serapidis *inſculpebant: vidimus Characterem hunc multis rebus impreſſum. Ego verò, quod de* Crucis *excellentia fuit apud* Ægyptios *ante* Chriſtum, *non tam muneris Stellarum teſtimonium fuiſſe arbitror, quam virtutis præſagium, quam cum* Chriſto *fuerat acceptura; Aſtrologos autem qui ſtatim poſt* Chriſtum *fuerunt, videntes à* Chriſtianis *miranda per* Crucem *fieri, neſcientes autem vel nolentes in* Jeſum *tanta conferre, in Cœleſtia retuliſſe.*

Atque hactenus Marſilius: in quo veluti in brevi quodam compendio omnia ea, quæ hactenus fuſe dicta ſunt comprobantur. Sed & eadem confirmantur ab *Arabe* quodam *anonymo*, qui in Libro manuſcripto ſic dicit: *Ab Antiquis accepimus, magnam in decuſſata figura, hoc eſt,* Crucis *Symbolo, ineſſe vim & efficaciam.*

His jam ſubnectam Expoſitionem *Symbolorum in Adytis*:

Sacrificiorum rite peractorum vis juxta Veteres.

Magnum quid & ineffabile ſub recta & illibata Sacrificiorum exhibitione latere putabant priſci Sacerdotes. Unde ſi vel unicam ex ritibus cærimoniam non rectè peragerent, totum Theurgicum opus in irritum labi, ſibi, teſte *Iamblicho*, perſuadebant. Hinc tanta in Sacrificiis, rectè & legitimè inſtituendis, cura, tanta animæ corporiſque diſpoſitio, tot ac tantæ perfectiones, Luſtrationes, Expiationes requirebantur. Cum enim Sacrificia magnam imo neceſſariam cum Ordinibus rerum, Deorumque Catenis, dependentiam connexionemque habere cognoſcerent; certe non alia ratione magis votorum ſuorum ſe compotes futuros rebantur, quam ſi ad exemplaria ſingulorum Ordinum, Idealeſque rationes, ſua Sacra inſtituerent. Norant etiam primos Hieromantas Divino quodam furore raptos, ea tali ordine, taliburſque Myſteriis adornata adinveniſſe, ut ipſæ primæ rerum Ideæ myſtico Symbolorum contextu exhibitæ, opus faciendum connotarent. Quæ omnia in *Menſa Iſiaca* ob oculos ponebant, in *Adytis* Sacrificantium; ut ex ea ſingulorum Deorum rationes diſcerent, & juxta præſcriptas leges, Sacrificia peragerent.

Jamblichus.

Sacrificaturi ad quid attenderint.

Quoniam enim ſinguli Deorum ordines, ut ipſi loquuntur, ſuis Symbolis, Geſtibus, Habitibus, Ornamentis, quibus uniuſcujusque naturam, proprietatem, actionem, exprimerent, inſtituti eſſent; hinc æquum judicabatur, analogico & prorſus ſimili rerum habitu in conſpectu Deorum, dum ſacra faciebant, comparere, ut tandem, quod prætenderent, conſequerentur *hoc Symbolico apparatu*, quo nihil potentius, nil efficacius, nil ad Deos attrahendos vehementius eſſe poſſe perperam credebant. Gaudent enim, uti dicebant, Superiora inferioribus, tanquam iis à quibus unice dependent, quorumque influxibus ſubſtant. De quibus cum ampliſſime *in* noſtro *Oedipo* egerimus, eo Lectorem remittimus.

Superiora gaudent Inferioribus, & hæc illis.

Myſtæ itaque *Adyta* ſua, quæ loca erant recondita & ab omni humano conſortio ſemota, ea induſtria conſtituebant, ut nihil fere eſſet in Rerum Natura, quod ibi non contineretur. Et primo quidem Inferiorem ſeu hylæum Mundum, *pavimentum*, Symbolico ei conveniente apparatu, utpote ex omni Mineralium Lapidumque genere adornatum, riviſque Aquarum fœcundum, exhibebat; *parietes* ſiderei Mundi Symbolis exprimebantur; *tholus* Genialis Mundi rationem exprimebat, in cujus medio Ara poſita veluti Centrum referebat emanationum Supremæ Mentis, quæ deinde in omnium Mundorum peripheriam diffundebantur. atque adeo *Adyta* nihil aliud, quam univerſas Mundorum ſeries repræſentabant; ad quorum notitiam nemo aptus cenſebatur niſi qui relictis Senſibus, rerumque caducarum cura depoſita, totum ſe intra ſe reciperet, quod *Adyta* ipſa reconditis ſuis receſſibus notabant.

Adyta Ægyptiorum qualia fuerint.


Adyta Ægyptiorum univerſitatem rerum exprimebant.

tabant. Corpora figurarum *Seminuda* & *macilenta* docebant, *Sacerdotes* ab omni Senſibilium rerum cura remotos & nudos, abſtinentiæque, qua concupiſcentia voluptatum refrænatur, deditos eſſe debere. Verenda *tecta* tenebant, ad animæ corporiſque puritatem, quâ inſtructos eſſe oportebat, indicandam. *Capita velata* habebant, ad indicandum terrenarum rerum curam, quæ pilis, inutilibus excrementis, notabatur, prorſus eſſe repudiandam: unde & eoſdem Sacerdotes *raſos* eſſe oportebat. In Sacrificiis itaque ſimili quo Deos referebant habitu comparebant. *Habitus Sacrificantium.*

Tutulos in capite gerebant, Floribus, Pennis, Serpentibus, Stellis, Animalibus, Flammis, Circulis, Vaſis, aliiſque ſimilibus, quibus Geniorum proprietates & Ideales rationes exprimuntur, compactos; quos in Sacrificiis pariter imitabantur Sacerdotes; illiſque notabatur, *Sacerdotem* continuò *ſupernas* Deorum *Ideas*, quæ per *Tutulos* notantur, *ſpeculari debere*: hoc enim facto, ſe in eam Intelligentiam quam continuo mente volvebant, *transformari*, eidemque uniri, & quodammodo identificari, ſibi perſuadebant: Unitos vero & jam conſortio Deorum adſcriptos, omnem ſe felicitatis metam utpote ϑεομόρφȣς, attigiſſe rebantur. *Exempli gratia*, ad Mundi trahendam Animam Spiritumque Univerſi, coram Imagine eo Symbolorum apparatu adornata quem Solium in medio *Tabulæ Bembinæ* & Aſſeclæ ejus exhibent, ſacra faciebant; & ſic operationum ſimilitudine hymnorumque analogice concinnatorum, Animam Mundi ineffabiliter ſe trahere poſſe, ad id quod volebant, arbitrabantur: & ſic de cæteris Geniorum, Deorumque Simulacris ſtatuebant. Hinc ex univerſis Mundialium rerum ſeriebus, eas tantum ad eum Deum trahendum aptas aſſerebant, quem res ſingulæ ſub dictis ſeriebus exprimebant. Cum enim hæc omnia ſub Idea, dum reſpiciebant involuta & complicata, latere crederent, ex neceſſitate Naturæ Genios iis rebus *Animam Mundi per Sacrificia trahendi ratio.*

quæ ipſis Analogæ forent tractos, ſe eos ſiſtere poſſe arbitrabantur; & illos quidem ſiſtebant; at non tam virtute Sacrificiorum quàm occultis Satanæ artibus, qui in iis Hierophantam agebat.

Fuit & magna *Sceptrorum* varietas apud *Ægyptios* in uſu: fuerunt quæ ſimplicem tantum *Sceptri* formam mentiuntur



2 rentur uti in 2, fuerunt ex *herbis* compoſi- 6 ta, uti in 6 patet; fuerunt & *contrapoſita*, C uti

Sceptra Numinum, quibus in Sacris utebantur Myſtæ.




in C; deinde πολύμορφα, id eſt, variis Animalium formis inſignita uti ſunt *Hircino*, *Canino*, *Ibidis*, *Accipitris*, *Meleagridum*, Capite inſignita; fuerunt & membris humanis, uti *Oculo*, *Vultu*, *Aure*, *Lingua*, *phallo* prænotata: quibus omnibus Dominium ejus Numinis, cujus figura Symbolum erat, notabant: Ut *Sceptro Oculato*, Potentiam & Providentiam Supremi Numinis. Quæ omnia alibi declarata fuerunt, eóque ulterius producenda non cenſui.

Brachium quoque ſæpe ſæpius inter Hieroglyphica reperitur, uti in hac præſenti Diatribe; & vel *Manum explicatam* habet, denotatque Liberalitatem Numinum; vel *contractam*, notans rigorem & Severitatem Numinum; vel *Pyramidem* in manu tenet, & ſignificat Influxum Numinis in inferiora; vel *capreolum* Vitis. Brachium *Capreolum* manu tenens, Beneficentiam Numinis indicabat: Nam, ut recte *Diodorus*, ἡ μὲν δεξιὰ τοὺς δακτύλους ἐκτεταμένους ἔχουσα συμφαίνει βίου πορισμόν. *Dextra* digitos extenſos *habens*, *ſigni-* *Brachium cum Capreolo vitis in manu quid.* *Diodorus Siculus.*

ſignificat rerum omnium neceſſariarum Sup-peditationem: ἡ δὲ εὐώνυμος, τήρησιν καὶ φυλακὴν χρημάτων. Siniſtra *vero* contracta, *Conſervationem & cuſtodiam facultatum.* Dicitur *Brachium Oſiridis*, eo quod *Nilus* ubi ſe in Mare exonerat, veluti in *digitos* quoſdam diſpertitus una cum terra interjacente venam quaſi in *Brachio* cardiacam exprimat, à qua Vita & tota *Ægypti* felicitas dependet: ut *Capreolus* in manu ſat oſtendit. Eſt enim

Capreolus quid.



Capreolus nil aliud, quam extrema illa & ultima teneriuſcula pars Vitis, vel Cucurbitæ, aut Convolvoli, quæ in helices quaſi lineas contrahitur; ſuntque veluti *manus* quædam *Vitis* ad ſeſe fulciendam à Natura ordinatæ; quidquid enim apprehenderit, adeo tenaciter eidem ſe circumvolvit, adeo tenaciter ſtringit, ut vix ab eo extricari poſſit. Atque hoc *Capreolo* ſcite ſane ſignant Vegetabilis Naturæ appetitum, quo in Superiora, à quibus Vitam obtinet, fertur. Accedit, quod Vitis inventio *Oſiri*, teſte *Herodoto*, *Diodoro*, *Clemente Alexandrino*, & *Euſebio* adſcribatur; hinc in Sacrificiis Vitis, Perſeæ, ſimiliumque Plantarum frondes manibus gerebant Sacerdotes. Quæ omnia fuſius in *Obeliſco Pamphilio* proſecuti ſumus *fol.* 362. ut proinde non incongrue Beneficentia *Oſiridis* per hujusmodi *Brachium*, inter Hieroglyphica paſſim obvium, indicetur. Quomodo vero *Brachium* hoc *Nilum* exprimat, *Abenephi Arabs* hiſce verbis exponit: *Terra* Ægypti *rectà protenſa eſt inſtar* Brachii *humani ex Auſtro in Boream, &* Nilus *per medium ejus tranſiens inſtar* Venæ Cardiacæ, *cum Mari approximaverit, tunc terram veluti in* digitos *quoſdam diſpeſcit.* Hinc *Nilum* ex Auſtro in Boream tendentem, teſte *Plutarcho*, non incongrue *fluxum Oſiridis* dixere Veteres. Quod *Nilus* in Auſtro ortus, uti ſumma felicitate *Ægyptum* beare, ita Mari (quod *Typhonium* Regnum, *Oſiri* contrarium) redditus felicitati *Niloticæ* finem imponere videbatur.

Herodotus. Diodorus. Clemens Alex. Euſebius.

Abenephius.

Omnia *Circularia*, uti jam ſupra expoſuimus, Cœleſte & Divinum quid ſignificant; pro diverſitate tamen Notarum ipſis adjunctarum; *Circulis* ſupra Capita Numinum Poteſtatem maximam, Divinitatem autem quomodolibet poſitus. De Globo alato & Serpentino jam diximus; Segmenta verò *Circulorum*, ſuperius quidem Cœli portionem ſuperiorem, inferius verò Horizontem notare ſcias: de quibus quam fuſiſſime in *Obeliſco Pamphilio*.

Circularis Figura quid ſignet.

Dicuntur *Meleagrides*, ex mente Mythologorum, ex eo, quod *Meleagrum* interfectum ſorores ejus ad ſepulchrum plangentes à *Diana* in *Meleagrides* converſæ dicantur. *Ægyptii* verò multo alia de *Meleagride*, quam & *Gallinam Pharaonis* vocant, philoſophantur. Cum enim viderent totum hujus Volucris corpus ineffabili quadam ſymmetria conſtitutum, in eam venerunt opinionem, Animam Mundi, quam *Pantamorphum Naturæ Genium* dicebant, in hujus ſibi Volucris corpore ſedem conſtituiſſe; eandemque ob cauſam Volucrem hominibus Sagacibus ſe aperire, circa eas res quas tanta majeſtate, ordine & diſpoſitione plumarumque varietate fulgere cernerent, arbitrabantur. Unde non ſine cauſa hanc avem Pantamorphæ Naturæ Capiti, uti ex Schemate in Tab. Bemb. patet, imponebant. *Triquetrum caput* habet, ad indicandam Triadem qua Fundum Paternum conſtituebatur; *Corpus cœruleum* habet *gibboſumque* ſeu in formam *arcus* effectum, quo Firmamenti arcuatam cœruleamque ſuperficiem denotabant: non ſecus ac *Volucris* corpus cœruleum innumeris veluti Stellulis exornatum. Unde non immerito *Abenephius* illud Firmamenti Symbolum fuiſſe aſſerit: *Gallina*, inquit, *Pharaonis*, *fuit Symbolum Sphæræ Stellarum.* Quemadmodum enim Firmamentum Variis *Stellis* ornatum eſt: ſic *maculis* veluti Stellulis per totum corpus mira naturæ arte depictis variegata eſt. Unde Hierophantæ eam non immerito in *Firmamenti* ejusque

Meleagridum Nomen & Corporis ſymmetria.

Abenephius.

que Præſidis *Symbolum* aſſumpſerunt. *Caniſtrum* capiti dorſo *Meleagridis* inſiſtens abundantiam Fructuum quos profert, *Perſeæ folia* Sapientiam, qua omnia mirificæ diſpoſitionis lege coordinat, ob impenetrabilem operationum quo utitur modum, non tam Sermone, quam devoti cordis Silentio colendam & adorandam, ſignant. Nam, *Horo* teſte, habet *Perſea* arbos folia ſimilia *Linguæ*, & fructum *Cordi* ſimilem, quæ abditæ *Sapientiæ* in Deo Symbolum ſunt.

Horus.

Perſea *Linguæ & Cordis Symbolum.*





Pedes vero duo ſoli, poſiti, notant inſenſibilem & prudentem Naturæ progreſſum, teſte *Plutarcho*, in omnibus, quæ occulto modo penetrat: ut in *Hieroglyphicis præſentis argumenti* videre eſt. *Unus* vero *pes* poſitus, idem notat, ſed uni tantum Numini applicatum, in rebus fidei ſuæ commiſſis. Figura vero in A, notat Divini Numinis proceſſum per *Craterem Oſiriacum*, ad mitigandam ſuperfluam humiditatem.



A

Plutarchus

Atque hæc ſunt *præcipua Symbola* quæ in *hac Columna numero ſignata* occurrunt: quibus ritè intellectis jam ſummariam ejus expoſitionem trademus.

Et quamvis titulus, qui ſive in Obeliſcis, ſive Statuis nunquam abeſt, hic deſit, neceſſario tamen is præcedere debuit; Ego eum alium eſſe non dixero, niſi *Globum* illum *Mumiæ* inſcriptum: qui uti Supremi Numinis in inferiora influxum ſemper notat, ita quoque effectus ejus, in ordine ſequentes Notæ ſubſidio Numinum aſſeclarum, quæ jam declarabimus, demonſtrant.

Titulus in Obeliſcis & Statuis nunquam abeſt.

Argumentum itaque, triplicis hujus *Inſcriptionis* Hieroglyphicæ hoc eſt: Cum Corpora condita jam æternitati conſecrare Sacerdotes cenſeant, primo *Oſiriacas Catenas* in *prima Columna* deſcribunt, quibus attracti Geniales Miniſtri Supremi Numinis, Corpora veluti fidei eorum commiſſa, magna cura ab *Typhonia* violentiâ tuta conſervare putantur, uſque ad tempus Tranſitus conſtitutum; ac proinde in Sacrificiis *orant* Oſirin, *ut Humidum Naturæ mitiget, & à corruptione divertat*, *Faviſſarum Craterumque curam habeat per Originis Solaris Miniſtrum, quò tranſeuntes Animæ, felici Catenarum Mundialium ſorte, tandem ad* Zonam *illis deſtinatam pertingant.* Secunda Columna *Anubis* continet *Vigilantiam & providentiam, ut Sacrorum virtute, tandem eo Duce & transvectore Animæ ad deſideratam* Zonam *pertingant*: quæ prorſus eadem habentur in 3 *Columna*, uti ex Figuris patet, adeoque tota hæc Hieroglyphicorum congeries, & *Oſiris*, & *Anubidis* adjurationem concernunt, non neglecto *Mophtæ* beneficio, Humidi in natura Præſidis.

Argumentum triplicis Inſcriptionis.

CAPUT IV.

Synopſis, *qua earum rerum, quæ in hoc Tricolumnari Obeliſci Latere conſiderari poſſunt, fidelis interpretatio continetur.*

SI in hoc *præſenti Hieroglyphico Syntagmate* ſub triplici Columnarum ſerie conſtituto, *Symbola* non dicam omnia, ſaltem pleraque ex Obeliſcorum prototypis extracta fuiſſe aſſeram non mentiar; quemadmodum expreſſè ex *Obeliſcis Flaminio*, *Lateranenſi*, & *Barberino in Oedipo* expoſitis, tum ex *Obeliſco Pamphilio*, patet: Ut proinde ſupervacaneum eſſe cenſeam interpreta-

pretationem Symbolorum omnium, hic ad nauſeam Lectoris repetere, cum in *citatis Obeliſcis* id à me affatim præſtitum ſit. De hoc tantum Lectorem admonendum duxi, Hoc cujuſpiam Obeliſci majoris unicum tantummodo Latus eſſe, quod ad inſtitutum Myſtarum quo *Mumiaci* corporis ſaluti conſulebant, ſufficiebat. Defectus tamen commiſſus videtur, quod *Epigraphe* ſive Superinſcriptione careat, omnibus *Obeliſcis* communi: Siquidem proprium erat Hieromyſtis, titulum Obeliſci magnifico Symbolorum apparatu adornare, initio facto à Supremi Numinis influxu, tanquam ex puncto Pyramidis, in omnem *inferiorum Mundorum* Oeconomiam, *ſupremam*, *mediam* & *hylæam* ſive *infimam*, per Genios adminiſtratam, diffuſo. Qualis autem *Titulus* & Superinſcriptio fuerit, dico aliam non fuiſſe, niſi quæ in ipſo *Mumiæ* veſtimento depicta cernitur, cum adjunctis Numinum Genialium Schematis, uti in præſenti *Hierogrammatiſmo* patet: hiſce enim *præmiſſis* firmiter ſibi perſuadebant Supremæ Mentis influxum, per Symbolum Κυκλο-οφι-πτερόμορφον expreſſum, præviis Sacrificiis, Geniorumque Catenis, cum omnibus Mundorum Ordinibus κατὰ τὴν ἀναλογίαν ſymbolizantibus, neceſſario allici, &c, ad quod petebant obtinendum, tanquam violenter attrahi. Quoniam igitur Inſcriptionis Obeliſci Symbola in *præcedentibus* fuſè interpretati ſumus, nil reſtat, niſi, ut quæ *in tribus Columnarum Seriebus*, *Symbola* continentur, exponamus; non quidem ſingula, hoc enim foret librum libro jungere, ſed Senſum ſolummodo ſingularum trium Seriorum innuere; qui verò profundius ea noſſe deſiderabunt, illi ſingula ſuis ſtabilita auctoritatibus, in paulò ſupra *allegatis Obeliſcis* invenient.

Tituli in Obeliſcis quam magnifici.


Argumenta trium Columnarum.

In prima Serie ordine ſequuntur, *Oſiris vis in omnem Humidæ Naturæ Oeconomiam diffuſa*, *qua* contrariæ *inimicæ* Poteſtates, *per Sacrificia*, *juxta Res ex Catenis ſibi analogis collectas*, *ſub analogo pariter Myſtarum habitu*, *inſtituta*, *profligantur & exterminantur*.

In ſecunda ſive media Columna *Momphtu regnum indigitatur*, *qui ad Supremi Numinis nutum*, *omnia ea quæ ad Humidum Naturæ*, *& Subterranea quoque receptacula perficienda pertinent*, *una cum aſſecla* Anubi, *adminiſtrat*.

In tertia Columna exhibentur, quatuor Numinum *una ad commune bonum Naturæ allaborantium adminiſtratio*, *rituſque & Cerimoniæ*, *quibus vel Numen ſupremum*, *quod* Hemphta *dicunt*, *vel placent*, *vel contrarias* Typhonis *machinas*, *per Statuas Apotropæas diſpellant*. Atque hæc eſt hujus *Hieroglyphici* ſyntagmatis *Summa*. Verum cum in hiſce ſubinde occurrant quæ *in præcedentibus* haud ſatis explanata fuerunt, atque adeo *peregrina Symbola* quæ necdum tacta, talia ad majorem Lectoris intelligentiam ſeparatim hic explicanda cenſui.

Occurrit primo *Figura* conſtans *duobus pedibus intra Craterem*, quem *Oſiriacum* vocant, immerſis, & notat Occultum & inſenſibilem Motum Numinis per univerſas Humidæ Naturæ ſemitas, teſte *Plutarcho*, *de Oſiri* & *Iſide*, deque hoc etiam *in præced. cap. & alibi* fuſius differuimus. *Plutarchus.*



continetur autem in hoc triplici Syſtemate quatuor vicibus, ſemel in prima Columna, quam Numerus 15 è regione notat; in ſecunda *Serie* ſemel, & penultimum locum obtinet; in tertia, è regione Num. 8. & 14. Quid vero hiſce locis ſignificet, ex adjunctis Signis patebit.

Occurrit in *ſecunda* Columna Num. 8. ſequens *figura*, *Accipiter* Serpente in capite, Flagello à tergo, & Laqueo in pedibus, & cum Circularibus figuris conſpicuus; quo ſignificatur, *Oſirim* omnium *malorum*, quod per *ſcuticam* à tergo & *laqueum* notatur, propulſatorem



rem; & ſubterraneus ἀντίτεχνος Genius veluti irretitus & illaqueatus ſiſtitur.



Eſt *triplex ramus* cum *lituo inflexo*, cujus myſteria cum in *Obeliſco Pamphilio*, capite *De plantis Hieroglyphicis*, quam uberrime expoſuerimus eò Lectorem remittimus.



Hoc ſymbolum *num.* 17. *Faviſſam* ſive *Sacram piſcinam* notat, una cum *phiala*, quæ Humidi in eam liquorem derivat.



Hoc ſymbolum, quod ex *Serpente* & duobus *phialis* ex Serpente pendentibus conſtat, notat Vitalem influxum in humidæ Naturæ vaſa.



Significat *Zonas Cæleſtes*, in quas animas per *Anubin* tranſportari credunt poſt tranſactum Metempſychoſeos tempus.



Brachium extenſum *pyramidem* manu *tenens*, notat beneficii, quo tenditur ad Divinitatis conſortium, adeptionem.



Brachium vero *cum vaſe Nilotico* in manu, Humoris beneficium notat.



& *cum manu* ſimpliciter *extenſa* notat naturam Genii beneficam. & ſic de cæteris.



Hæc Statua *Apotropæi* Numinis eſt, è regione *num.* 15, intra mediam Columnam, qua Genii adverſi abigi credebantur, cujus nota eſt *laqueus* ipſi junctus.



Hæc Figura è regione *num.* 16. *col.* 2 & 3, inter 14 & 15 *num.* notat Influxum vitalem *Momphtæ*, Præſidis Humidi; & *undulatio Serpentis* ſat oſtendit.



Hæc figura *Col.* 3, è regione *num.* 9, ſignificat Numinis Statuam *præpotentis efficaciæ*, ad profligandas contrarias Poteſtates, virtute *Crucis anſatæ*; & Penna in capite *Oſiris* ſiderativæ *Typhonis* ſymbolum eſt.

Atque hæc ſunt *Symbola* in præcedentibus plane non vel non ſatis expoſita, quibus intellectis nullam Lector reperiet in exponendis reliquis paſſim occurrentibus Symbolis difficultatem. Ex quibus etiam clare intelliget ſub hiſce nullam hiſtoricam relationem, uti multi ſibi hucuſque perſuaſerunt, contineri; ſed eſſe puram *Idealem literaturam* ſub analogia rerum ad cultum Numinum ex omnibus Naturæ gradibus conſtitutam, & efficaciſſimam ad Numina benefica qua placanda alliciendaque, qua profligandos contrariæ & adverſæ poteſtatis Antitechnos.

Hieroglyphicorum finem *non fuiſſe hiſtoricum.*

His itaque enumeratis jam *ad ſecundi Syntagmatis Hieroglyphici Tricolumnaris* expoſitionem progrediamur. *Syntagmatis ſecundi Obeliſci* τϱιςύλȣ, ſive *tricolumnaris*, *Symbola*, ſi pauca exceperis, cum iis quæ in *primo* reperiuntur, prorſus ſunt eadem; & in varia ſolummodo eorundem metatheſi ſive tranſpoſitione, abſque ullo tamen veræ ſignificationis præjudicio, differunt; ut proinde ſupervacaneum cenſeam iis explicandis longius inhærere. Quid vero ſibi velit *Media columna*, *aureo colore* depicta, cum duæ extremæ non niſi *nigris* deſcriptæ videantur, ego rem tacite conſiderando & Columnis extremis cum media combinatis, cum eadem prorſus Symbola in ſingulis reperiantur, nullum aliud myſterium inveni, niſi quod *Myſtæ*, ne quid *ad ornatum* deeſſet, Columnam ſuperbius reſplendentem, tanquam inter extremas *mediam*, aureo colore, ad majus ei ornamentum conciliandum, depinxerint, uti ex aliis *Mumiarum* ornamentis patet, nullo alio interveniente myſterio digno conſideratione.

Summa *Syntagmatis ſecundi.*

Aurei coloris Symbola *quid ſibi velint.*

Expoſitio Syſtematis Hieroglyphice ſignati Num. 3.

PRogrediamur jam ad *Syſtema Hieroglyphicum*, quod *Numero tertio* ſignatum eſt, explicandum. In hujus *media Columna aureis literis* ordine depicta deſcribuntur *Symbola*; quæ quidem nil aliud indicare videntur, niſi Influxum Numinis in rerum *Oſiri*, *Anubi*, *Mercurio*, *Ibiaco* & *Mophtæ* commiſſarum dominium, quod tanquam immediati Supremi *Archetypæ Mentis* aſſeclæ, adminiſtrant; & ſunt illa quæ in *Mumia* depicta cernuntur, *ſuperius* expoſita Numina. Ac *caput* quidem *Canis Sceptro* impoſitum unà cum *Altaris* nota, monſtrat Curam & vigilantiam ad *Anubin*, per Sacrificia, ad corpora condîta conſervanda inſtimulandum. Symbolum vero quod *Ibidis* figuræ ſignum eſt, notat pariter *Mercurium*, omnium Scientiarum Inventorem. quas ſub *Ibidis* forma *Ægyptios* docuiſſet. Et tametſi *Mercurii duo* dicuntur, *Ibiacus*, qui *Cæleſtibus*, & κυνόμορφος, qui *Terreſtribus* præſidet, revera tamen unus & idem eſt, ſub diverſis tantummodo operationibus, queis tum in Superioribus, tum Inferioribus pollet, diſtinctus; de quibus conſule *Obeliſcum Pamphilium de Hierogrammatiſmo Ibidis* & *Canis*. *Oſiris* vero, quem & *Thauſtum* dicunt, *figura Accipitris* ſignatur ſemper, uti ex *præſenti* Mumiæ *Hierogrammatiſmo* patet; quamvis in omnibus *roſtrum* omiſſum ſit, quod tamen ad *Oſirin* indicandum poni debebat: & ſic à me in omnibus emendatum fuit. Quartus *Mophta* λεοντόμορφος, *capite Leonino*, vel *Hydroſchemate* notatus, Faviſſarum, Sacrarum piſcinarum, *Nili*, *Baridis*, Craterumque ſupernorum Cuſtos; Humidi enim totius *Craterumque Iſiacorum* Præſidem



Aurei coloris Symbola *exponuntur.*

Mercurius *geminus.*




ſidem exiſtimabant *Ægyptii.* Unde nomen ipſi impoſuerunt *Mophta*, ſeu *Momphta*: nam MO vel MOI Lingua *Ægyptiaca* *Aquas* notat, unde & *Moiſes* nomen obtinuit, tanquam ex *aqua* extractus, uti habetur *Exodi. c. 2.* *Phta* verò *Deum* dicta Lingua ſignificat, quaſi diceres *Mophta Deus aquarum.* Unde ſemper ejus Symbola *Hydroſchema* aut unum aut duo aut tria & quatuor etiam, κυριολογικὰ Symbola; queis nunc unius, modo duorum, modo trium aut quatuor diverſorum Humidorum adminiſtrationem ſignant, ut in *præſenti Syſtemate* videre eſt. In *prima* itaque *Columna*, *Typhoniam* violentiam, per *Tridentem* & *Crocodilum* ſignificatam, Typhonis Symbola, ab *Anubi*, primò Sacrificiis placato, à Corporibus conditis, per Statuas quæ *Meſitæ*, Dii Intermediatores, inter Supremum Numen & Res ſibi commiſſas eſſe putantur, arceri ſtatuebant, per hujusmodi enim Statuas Catenarum Mundialium Præſidem, Numen ἱείμοεφον, in ipſas Statuas attrahi, & de quæſitis reſponſa dari credebant. Unde *hujus Columnæ ſeries nihil aliud quam continuata adjuratio eſt, qua* Oſiris & Anubis *per* Sacra *quaternis vicibus ſollicitantur ad tuenda* Corpora, *donec per varios tranſitus ad* Zonam *ipſis deſtinatam pertingant.*

Moiſes unde ſic dictus.

Argumenta Columnarum Syſtematis ſub Num. 3.

In *tertia* vero *Columna*, cum eadem prorſus quæ in *prima*, etſi pro varia Symbolorum diſpoſitione differre videantur, juxta Idealem tamen conceptum idem ſunt.

In *media Columna*, uti *aureis literis* ſcripta, ita quoque altius quodpiam myſterium contineri quiſpiam ſibi perſuadere poſſet; veruntamen qui ad *Symbolorum* ſequelam, mentem paulo penitius reflexerit, is *nil aliud* reperiet, *quam Numinum in unum conjunctorum, utque unitis viribus ſuccurrant, Invocationem & adjurationem*: cujus prima Symbola *Serpens*, penna Accipitrina, & Clava, quibus *Oſiris*, Vitarum auctor, & *Anubis* fidus vigilque earum cuſtos, *Mophta* Humidi præſes, per Statuas ſacras, Crateres, Faviſſas, & Piſcinas ſacras, magnis ritibus conſecratas, ad tutelam Animarum transvehendarum, ſollicitantur. In *fine* quoque *Columnæ Heptapyrgon*, ſignatum *litera* A, ponitur,



& erat figura *Muri ſeptem cuſpidibus* inſigniti, quod *Septem Stellarum principalium Arcem* vocabant, & inter *Hieroglyphica* frequens eſt: ſi enim tribus Apicibus ſignabatur, trium Numinum, ſi duodecim Apicibus, duodecim Signorum *Zodiaci* Præſidum Arcem notabant. Hoc vero *Heptapyrgo* Septem *Stellarum* invocant Numina, ut *Mercurius* per eorum Faviſſam & Subterraneæ potentiæ Sceptrum, per tres Naturæ gradus, tranſeuntes Animas tandem ad *Heptapyrgon Herowm* aut *Semideorum* perducat.

Atque hæc eſt brevis & ſuccincta eorum quæ in *Gallicana Mumia* continentur, *Hieroglyphicorum* Interpretatio; quemadmodum ex iis quæ in præcedentibus ad ſtabiliendam veritatem ubertim adduximus, prudens & peritus Lector, clarius intelliget.

CAPUT V.

De abominandis ritibus & Cærimoniis Ægyptiis, *quibus Myſtæ veteres in* Adytis *ſuis, tum ad* Genios *Mundi Tutelares alliciendos, tum ad Adverſos propulſandos, utebantur.*

DE *Adytis Ægyptiorum* egimus ſupra tribus jam locis *Parte* II. *cap.*4. & *ult.* atque *hujus Partis capite præced.* III. Quæ ut clarius intelligantur, hic ectypon *Adyti Ægyptiaci* ex *Theatro Hieroglyphico* extractum inſeram, in quo *locis citatis* dicta, & hic dicenda, quam luculentiſſime expreſſa Adytorum locus. cernuntur. Vides itaque primò locum abditum & tenebroſum, in quo mactatur in uſum Sacrificiorum; cujus parietes *Hieroglyphicis* notis inſigniti, ut ad Numina hiſce veluti illiciis quibuſdam propitianda ſpectantes attraherentur. *Myſtæ* juxta ritus & cærimonias præſcriptas analogico habitu induti Sa- Sacerdotum habitus. cra peragebant; nudo videlicet corpore ſolo ſemicinctio ad tegendas abditas corporis partes contenti. Nam, ut rectè Porphyrius. Porphyrius, de Abſtinentia, *raſi toto corpore, ne quid vilium excrementorum, cujuſmodi pili ſunt, quæ Numina, averſabantur,*



Fig. V

reſtaret Sacris *operam dabant*: Unde & capita eorum raſa erant, vittiſque reticulatis, juxta Ideales Numinum rationes elaboratis, ut ne capilli quidem apparerent, in ſacris utebantur. Et ne quidquam ad ſuperſtitionem deſoret, muros varia Hieroglyphicorum pictura exornabant, ſic uti *in appoſito hic ſchemate* patet *Adyti*. Viden *Accipitrem* Solis ſymbolum, *Ibin*, Lunæ, *Noctuam* Sapientiæ ſilentio comparatæ notam? Viden Sacrorum Inſtrumentorum myſticas notas hinc inde depictas, uti ſunt Crux anſata b, Pennæ ſiderativæ Typhonis a, Hydroſchematum figuræ c, Crater *Oſiris* d, Septum *Apidis* f, & ſimilia, quibus pleni erant *Adytorum* receſſus. Magnum piaculum ſe facturos credebant, ſi quidpiam horum in Sacris defuiſſet: quæ & apprime congruunt iis quæ paulo poſt ex *Ezechiele cap.* 8. adducemus. Erant hujuſmodi latibula complura in *Ægypto*, uti ſupra *Parte* II, *ſexto capite*, ex *Clemente* conſtat. In hiſce namque *Adytis*, ſeu remotis ab omnium hominum conſortio Receſſibus, docebatur Theologia illa Myſtica, Verius *Magia Ægyptiorum* arcanior, Hieroglyphicis deſcripta Symbolis, quæ non niſi Sacerdotalis Ordinis hominibus tradebatur. Quæ omnia teſtatur Arnobius cum Arnobius. de Mago quodam *Ægyptio* loquitur: *Magus*, inquit, *ſuis clandeſtinis artibus omnia illa perfecit*, Ægyptiorum *ex* Adytis *potentium Angelorum Nomina*, & *remotas furatus eſt diſciplinas.* Neque *Adyta* ſolum *Ægyptiorum* ſummè celebrabantur ab omnibus, ſed & libri Magici, quibus conjurabant Dæmones, & ſui eos juris facere nitebantur Sacerdotes, proferebantur: de quibus Lucianus Lucianus. in Philopſeude: *Domus infeſtabatur à Dæmone, Ego autem accepi* libros, *quos plures hujuſmodi apud ſe habebant*, Veni domum, & quam maximè *horrendo*

carmi-

carmine dæmonem exegi, *vocem imitatus* Ægyptiam. De altero quodam *Ægyptio* Mago, qui occultas *Ægyptiorum* artes Magicas noſſe deſiderabat, Clemens Alex. *Ibo*, inquit, *in Ægyptum*, *& Adytorum Myſtis, Sacerdotibus*, *& Prophetis amicitia ſociabor.* Quinam ſunt alii hi *Libri* niſi quos diximus Muri, Menſæ Tabulæque aliæ *Hieroglyphicis* Avium, Serpentum, Quadrupedum, horumque in unum varia metamorphoſi compoſitorum Imaginibus inaratæ? neque enim aliud *Adyta* tenebant. Quæ adeo vera ſunt, ut vel ipſa *Sacra Scriptura* Hebræis hujusmodi abominationes, quas in *Adytis*, more *Ægyptiorum* in ſubterraneis locis extructis, peragere ſolebant, exprobrare videatur. Tale *adytum* fuit, quod Deus Ezechieli monſtrabat, cap. 8. vers 7. *Et introduxit me ad oſtium atrii*, *& ecce foramen unum in pariete*, *& dixit ad me*, *Fili hominis*, *ſcinde parietem*; *& cum ſcidiſſem parietem*, *apparuit Oſtium unum*: *& dixit ad me*, *Ingredere & vide* abominationes *peſſimas quas iſti faciunt*; *& ingreſſus vidi*:

Clemens Alexandrinus.

Hebræi Ægyptiacis ritibus afficiebantur.

והנה כל תבנית רמש ובהמה שקץ וכל גלולי בית ישראל מחקה בקיר:

& ecce omnis ſimilitudo Reptilium *&* Animalium *&* Idola *univerſa Domus Iſrael* depicta *in* parietibus *circumcirca*. Vides hic non ad aliud quam ad ritus & cærimonias in *Adytis Ægyptiorum*, quibus *Hebræi* adeo dediti erant, peragi ſolitas alludi. Quæ tanti apud Græcos etiam æſtimata fuerunt, ut ultra ea quæ *ſuprà* dicto *cap. 6*, *Partis* II, adduxi, *Platonem* ipſum, *Eudoxum*, cæteroſque *Græciæ* Philoſophos ad hujusmodi ſacras diſciplinas in *Adytis* traditas, percipiendas, data opera in *Ægyptum* profectos fuiſſe *Laërtius* doceat: ab iis tamen qui ſacris præerant Sacerdotibus, tenaciſſimo ſilentio adſtrictis, vix quicquam, niſi multorum annorum ſpatio & precibus extorquere potuerunt. Quibus ritibus quove murmure Sacerdotes illi Diis ſuis ſupplicabant, habes ſæpe dicto cap. 6. Verum non ſolum Magico murmure Numina ſollicitabant, ſed certas quoque *patellas* præparatas habebant, in quibus eorum quæ adjurabant Numinum inciſæ Figuræ ſpectabantur atque Nomina; cujuſmodi nuper mihi eximius Statuarius *Ioſephus Orpheus* ex ſuo Muſeo, curioſis Antiquitatibus conferto, depromptum communicavit; quod, quia mirifice ad veritatem dictorum confirmandam facit, hic apponendum duxi.

Platonis in Ægypto peregrinatio.

Diogenes Laertius.



Vides in lapide *Ophite* primo inciſos tres *Accipitres*, deinde tres *Circulos*, & poſtea tres *Sphinges* Leoninæ formæ. Sequitur poſtea *adjuratio* Numinum, paucis in *Ægyptiaca* Lingua verbis prolata: quorum intellectum pari brevitate expono. Per *tres Accipitres*, *trium Mundorum*, *Intelligibilis* ſeu Archetypi, *Siderei*, & *Hylei* triplex *Oſiris*, per tres *Circulos* diſpoſitionis Ordo & divinitas ejus notatur; per tres *Sphinges*, triplex triplicis Mundi *Momphta* ſignificatur. Et ut *Oſiris* Accipitrinus Mundani Caloris auctor eſt, ita Humidæ *Momphta*: ex quorum juſta attemperatione, uti omnia quæ in triplici Naturæ gradu ſpectantur, naſci, ita quoque ex eorundem diſcraſia ſeu intemperie, ſterilitatem cauſari neceſſe eſt: ad quam avertendam, hujusmodi *patellam* veluti amuletum in Statuæ *Momphtæ* capite ponebant, addito etiam ad id quod prætenderent obtinendum *Magico murmure*, ſeu *adjuratione*. Verba ex *Ægyptiaca* Lingua ſeu *Copta* à me tranſlata ita ſonant:

ⲟⲃⲁⲛⲉⲃⲟ ⲟⲃⲁⲛⲉⲑ ⲟⲃⲁⲛⲉⲑ ⲟⲙⲟⲩⲫϯ ⲟⲙⲟⲩⲫϯ ⲟⲙⲟⲩⲫϯ

ⲀⲚⲞⲬⲤⲞⲢⲪ ⲞⲨⲦⲞⲨⲞⲨ ⲚⲈⲢⲰⲒ Θ·Θ·Θ·

ⲫ·ⲫ·ⲫ·

ⲫⲩⲗⲁⲍⲟⲛ ⲫⲁⲗⲁⲍⲟⲛ ⲫⲩⲗⲁⲍⲟⲛ ⲛⲓⲥⲕⲏⲡⲧⲣⲟⲛ ⲛⲧⲉⲇⲩⲛⲁⲓⲥ.

Id

Id eſt, *O ter potens Divine Oſiris*, Oſiris, *Oſiris*, *Mophta*, Mophta, *Mophta*, *adjuro te per hoc ſignum*, *Thoth*, Thoth, *Thoth, id eſt*, Mercurii, *qui eſt trium* Faviſſarum *ſeu Ciſternarum ſacrarum Cuſtos*, Cuſtos, *Cuſtos*, *triplici Sceptro Dominationis tuæ potens.* Sed nequaquam ſemper minis aut verborum portentoſorum prolatione Sacerdotes hic utebantur, ut videre eſt *cap. ſæpe citato 6.* quo me refero.

CAPUT VI.

De *Faſcibus Sepulchralibus*, iiſque quæ *intra Involucra* ponebantur *Idolis averruncis.*

MIſſa mihi olim ex *Ægypto* fuit *Statua* unius pedis altitudine, imputribilis ligni, ex cedro aut ficaſtro elaborata; quam dicebant, intra *Mumiæ* corpus inventam fuiſſe, quam in meo Muſeo adhuc ceu rarum quid & curioſum conſervo. Inveniuntur & Mumiis inſertæ *Statunculæ* ſemipalmares ex creta cocta: quæ aliud non ſignificant quam *Lares*, de quibus *ſupra*: & ſemper quaſi omnes eandem *Hieroglyphicorum* Inſcriptionem continent, ex *Obeliſcis* veluti Prototypis extractam & Simulacris inciſam. Ut proinde vel ex hoc Capite pateat, in *Hieroglyphicis* Inſcriptionibus non hiſtorias, non Regum vitam, non potentiam & opulentiam contineri, ſed altioris doctrinæ dictamina, de quibus hucuſque egimus; Regum vero geſta, & commemoratione digna vulgari Lingua, quam nos *Coptam* ſive Pharonicam appellamus, poſteritati conſignabant.

Hieroglyphicorum argumentum in univerſum quodnam fuerit.

EPILOGUS.

Noverit Lector, quæ de *SS. Triade, de Anima & Spiritu Mundi, de Deorum, Dæmonum, & Animarum origine, de Idearum Divinarum in inferiorem Mundum influxibus, de Transmigratione animarum, de ſacrificiis Magicis, eorumque ratione, & ſimilibus*, in hoc Opuſculo vel alibi adduximus, ea omnia caute legenda eſſe. Sunt enim pleraque Orthodoxæ fidei prorſus contraria, primiſque Hæreſiarchis opportunam turpiſſimorum dogmatum fundandorum materiam occaſionemque præbuerunt, ut ex SS. Patrum, *Auguſtini, Iuſtini, Lactantii, Arnobii*, aliorumque confutatione patet. Quare ſi aliqua veritatis lux in iis effulgeat, illam non tam veram expoſitionem, quam Orthodoxæ doctrinæ adumbrationem quandam, Luminis Naturalis, quo pollebant, ſublimitate Ingeniique præſtantia prolatam putabimus; vel ſi de *Dei* natura rectè ſubinde ratiocinentur, illud præternaturali concurſu Numinis potius eructaſſe quam comprehendiſſe, uti de *Sybillis* SS. Patres ſentiunt, cenſebimus. Quare in tantum dicta expoſitaque velim in quantum *Hieroglyphicæ doctrinæ* fundamentis erudiendis ſerviunt: Uti in Mythologia Deorum paſſim fieri ſolet, dum non tam quid docuerint, quam quid docere debuerint, oſtendimus.

Omnia ad Majorem Dei Gloriam Virginiſque Matris.

IN-

INDEX
RERUM & VERBORUM;
Numero paginam, a, b Columnas ſignantibus..

A.

Achemenide herbâ in aciem hoſtium conjectâ quis effectus 39, b.
Accipiter quem ſemper notet 68, b.
Accipiter Solis ſymbolum 70, b.
Accipitris amuletum 43, a, b.
Accipitris figura cum Serpente in capite, Flagello à tergo, &c. *quem notet* 66, b.
Accipitris ſymbolum & idealis conceptus 46, a, b. 47, a. 48, a.
Accipitrinus Oſiris *Mundani caloris auctor* 71, b.
Accuſatores contra mortuum apud Ægyptios 8, b.
Adjuratio Hieroglyphica Oſiris *&* Anubidis 65, b.
Adjurationis & murmuris magici formula 71, b.
Adytum 30, a. *Adyti ectypon* 70, a.
Adyta Ægyptiorum 43. a. *Diabolicarum artium ſacraria*, ib. & 70. b. *in quibus Sacerdotes ſtatutis diebus conveniebant*, 43, b.
Adyta in ſubterraneis locis exſtructa 71, a.
quæ depicta continebant, ib.
Adyta Ægyptiorum *qualia* 62, b.
Univerſitatem rerum repræſentabant, ib.
Ægyptii *omnes pariter nobiles* 9, a.
Ægyptii *cur tantopere demortuorum incorruptioni ſtuduerint* 5, 6.
Ægyptiorum *Adyta* 43, ſeq. *dogma de* μετεμψυχώσεως 21, a.
Ægyptiorum *herbæ & lapides magici* 40, a, b.
luctus & ſepulturæ 7, b.
Ægyptiorum *præcipua Numina* 21, b, 22.
Ægyptiorum *Sacerdotes quo ritu in cauſſa publica Numini ſupplicabant* 44, a, b.
Ægyptiorum 5 *Tutelares* 58, b, 59.
ζωολατρεία 2, b.
Ægyptiis *tot Numina quot Entium gradus* 24, a.
Ægyptios *Triunum omnium rerum Principium credidiſſe* 26, a. 27, b.
Æluri amuletum 43, b.
Æſculapium *Græci per Serpentem exprimebant* 57, b.
Agathodæmon 25, a.
Ἀγαθὸς Δαίμων 52, b, ſeq.
Aglaophotide herba Deos evocari ſolitos 39, a.
Alæ, Velocitatis ſymbolum 25, b, 26.
Altaris conceptus ſymbolicus 50, a.
Altaris Nota 68, a.
Altaris ſymbolum in capite Simulacri geſtati 28, a.
Amaſis *Ægyptiorum Rex poſt mortem ſub forma Leonis mendicans* 4, a.
Ammonii Oraculi celebritas 38, b.
Ammun *Numen* παντεργάτων 41, a.
Amuleta apud Ægyptios 21, a. 40. 41, b.
Amuleta Terreſtria, Aquea, Aëria, Ignea: Urbium, domuum, & ſingulorum 42. a, b.
Amuletum Harpocratis, Hori, &c. 42, b. 43. *Ibidis, Accipitris*, &c. 43, a, b.
Amuletum Tauticus Character 60, b.
Amuletaria artis origo 20, a.
Ananchites lapis magicus 40, b.
Angeli, Secundei 21, a.
Anima primi hominis in quorum corpora ſe volutaverit 2, a.
Animæ compoſitio ſecundum Platonem 54, a.
Animam Mundi apud Ægyptios *ad id quod vellent impetrandum per Sacrificia trahendi ratio* 63, a.
Animæ in corpora ſacrorum animalium abeuntes 2, a.
Animæ immortales 2, b.
Animarum humanarum permulta mutationes 2, b.
Animarum revolutio 3, b. *in Zonas transvectio* 65, b. 69, b.
Animas reproborum in Aſinos deſcendere 2, b.
Animalia ſacra 2, a.
Animalia ſingulari honore à Pythagora *dignata, quæ* 3, a.
Annus magnus quis 54, a.
Anni 5 Tutelares apud Ægyptios 58, b, 59.
Anubis 21, b. 23, a. 29, a. *eſt Mercurius Ægyptius* 49. E. 61. a. Momphtæ *aſſecla* 66, a. *fidus vitarum cuſtos* 69, b.
Anubis *cur Canis ſedentis figurâ cum ſiſtro pingatur* 32, a.
Anubis *cum capite canino & vertice penna ſublimi* 56, b.
Apis *amuletum ſub forma bovini capitis* 42, b, 43. *Septum* 51, b.

INDEX.

Apotropæi Numinis figura 67. *alia præpotentis efficacia*, ibid. 67.
Arietis Cornua Fœcunditatem denotantia 61, a.
Aſphaltus conditura corporum inſerviens 7, a.
Aſpis Bonus Dæmon *Phœnicibus* 57, b.
Aſpis erectus Ignem ſignificans 59, a.
Aſſeclæ 4 *Supremi Numinis* 29, a.
Aſtrologia quid, & ejus origo 36, b.
Atizoci magici lapidis vis 40, b.
Averrunca 6 *Numina* 31, b.
Averrunca Idola Mumiis involuta 72.

B.

BAris *navis ſacra* 44, b. 45, b.
Barra *inter Symbola* 51, b. 52, a.
Vehiculum Mundanarum rationum ibid.
Bitumen, vide *Aſphaltus*.
Bona corporis & bona animi recenſentur 36, a.
Bovis amuletum 43, a.
Brachium digitis diffiſis Nilum exprimens 64, a.
Brachium cum extenſa manu quale Symbolum 25, a.
Brachium ſimpliciter extenſum 67.
extenſum pyramidem tenens quid notet 67.
Brachium cum manu explicata vel contracta quid ſignificet 63, b. *cum vitis capreolo quid*, ibid.
Brachium cum vaſe Nilotico 67.

C.

CAbaliſtarum opinio de revolutione animarum 3, b.
Camelus per foramen acûs tranſiens 4, b, 5.
Canis amuletum 43, a, b.
Canis caput Sceptro impoſitum 68, a.
Caniſtri ſymbolum 65, a.
Canopus *Oſiridis Nauarchus* 52, b.
Canopus *ſeu* Canubus *quale Numen* 33, b. 34, a. *an maximum* 35, a.
Canopus *Momptæ miniſter* 55, b.
Capreolus quid 64, a. *Vegetabilis Naturæ appetitum ſignificat* ibid.
Catena inter Symbola 49, E. 52, a.
Catenæ rerum Mundanarum 41, b. 46, a.
Catenæ Mundiales, earumque Præſes 69, a.
Catenæ *Numinum*, Oſiriaca, Hermetica, &c. 19, b, 20.
Cayrus *eſt* Memphis 12, a.
Cercopithecus 1, b. 31, b. *Genium Lunarem exprimit* 55, b.
Cham *auctor Aſtrologiæ & Polymantiæ* 36, b.
Characteres Hieroglyphici, ut figura Accipitris, Globus alatus &c. 46, a. 47, a.
Characteres Hieroglyph. deſumti ex omnibus rebus quorum uſus in Sacris erat 46, a. 52, a.
Characteribus & ſigillis vis inhibita Serpentum & Scorpionum 42, a.
Charontis *Simulacrum peſtem ſedaſſe* 42, b.
Ciconiæ Byzantinorum *fontes & puteos vitiantes* 42, a.
Circulus quale ſignum 51, b, 53.
in Cruce anſata quid notet 60, a.
Circuli ſegmentum quid 48, a.
Circulus Hermeticus 36500 *annorum* 54, a.
Circularia omnia Cœleſte & Divinum quid ſignificare 64, b.
Clava Symbolum 26, a. 50, a.
Cnebiſone herba Deos evocari ſolitos 39, a.
Cocyti *portæ* 5, b.
Cœli figuræ Imaginibus Ægyptiorum *impreſſa ad aliquid impetrandum, quæ* 61, b.
Cœmeterium apud Ægyptios *Cryptæ ſubterranea* 9, a.
Conceptus Idealis in Literatura Hieroglyphica 46, b.
Conceptus Idealis ſeu Symbolicus 46, b.
Condiendorum Corporum origo & modus 1, a, b.
Connubium ☉ & ☽ *in Charactere Tautico notatum* 49, a.
Conſiliarii 4 Hemptæi *Numinis* 29, a.
Cornucopiæ 47, a.
Crater inter Symbola 52, a.
Crater Iſiacus 68, b. Oſiriacus 65, a.
Crocodili Symbolum 50, a. Typhonem *notans* 69, a.
Crux Andreana 60, a. *anſata* 47, a. *Crucis anſatæ figura & Symbolum* 47, a. Adde *Tauticus Char.*
Crux Characteris Tautici an Vitam venturam Ægyptiis *ſignificarit* 59, b. 62, a.
Crux diffuſionem in Elementa ſignificat 60, a.
Crucis excellentia apud Ægyptios *ante* Chriſtum, *futuræ virtutis præſagium* 62, a.
Crucis figura prima & maximè recta 61, b. *eam Antiquiores cunctis antepoſuere*, ibid.
Cryptæ Ægyptiorum *in quibus corpora condi ſolebant* 7, b. 9, ſeqq.
Cryptæ Mumiarum *Ichnographia*, inter pag. 10 & 11.
Cucuphæ caput Sceptro impoſitum, Symbolum 46, b, 47.
Cuſtodes cadaverum conditorum Dii aſſeclæ ſive Miniſtri 22, a. 23, a.
Cynocephali *amuletum* 43, a. b.

Dæmon

I N D E X.

D.

DÆmon appetitus ſcientiæ futurorum Aſtrologia & Polymantia ſatisfecit 36, b.
Dæmon ſpecie mendici graſſans lapidibus obruitur 42, a. ubi, à quo, ibid.
Dæmones, Angeli vel Genii aut Terreni Dii 36, b. locus habitationis 37, a. Statuas ingrediebantur, ibid.
Dæmones hominum corporibus ſe inſinuare & valetudinem lædere 42, b. lædere primum, deinde remedia præcipere, ibid.
Dæmones in Statuas compacti 20, a.
Dæmoniorum omnia genera mirè audacia & timida eſſe 44, b. adeo timida aut ſtupida ut ne comminantem quidem dignoſcere poſſint, ibid
Decuſſatæ figuræ vis & efficacia 62, a. Junge Crux, Tauticus Char.
Delta Magnum in Ægypto 53, a.
Deus cæruleâ veſte cur pingatur 53, a.
DEI effectus à nobis cerni poſſe, naturam minime 52, a. 56, b.
Deum triunum quomodo Ægyptii expreſſerint 25, b. 26.
Dii miniſtri Archetypi Numinis, qui, quot 21, b. 22. 23, a.
Dii totum Orbem peragrantes, quibus formis induti 2, a.
Deos herbis, lapidibus & aromatibus attrahi, Ægyptiis creditum 40, b.
Deos quoſdam inferioris ordinis ab Ægyptiorum Sacerdotibus minis fuiſſe coactos 44, b. qui hoc fieri potuerit 45, a.
Divinatoriæ artis natales 20, a.

E.

ELementa 4 in Serpente expreſſa 58, a.
Elementorum mutatio in Speciebus 58, b.
Elementorum quatuor Præſides 23, a.
Emepht, Creator Ægyptiis, meliùs Hempta 52, b.
Emet corruptè pro Hempta 29, a.
Epagomenarum 5 natales 59, a.
Epariſterium Ægyptiorum quid 54, b. 55, a, b. 56, a.

F.

FAſces Sepulchrales 72.
Faviſſæ 6, b.
Faviſſæ ſive ſacræ Piſcinæ Nota 67.
Figura Cœli, vide Cœl.
Firmamenti ſymbolum Meleagris 64, b. 65.
Fons Virgineus Hecates 55, a.
Futurorum ſcientiæ appetitus Aſtrologiam & Polymantiam peperit 36, b.

G.

GAllicana Mumia, ejuſque interpretatio 21, ſeqq.
Gallina Pharaonis, Meleagris 64, b.
Genii Græcis qui 29, a.
Genii Ægyptiorum quinam 36, b. 37. Angeli 36, b. 37.
Globus Anubis Serpente fœtus quid notet 56, b.
Globus Divinæ naturæ ſymbolum 25, b.
Globus triformis, Triforme Numen 55, a.
Globi alati Symbolum 46, b. 47.

H.

HÆreſiarcharum turpiſſimorum dogmatum fundamenta 72, b.
Hammon ſive Thauſtus 23, a. 29, a.
Hammonis Cornu quid notet 33, b.
Harpocratis digitus, cornucopia & amuletum 42, b.
Hebræi novorum dogmatum appetitores 2, b.
Hebræos literam Thau odio Crucis immutaſſe 15, b.
Hebræorum Adytum, de quo Ezechiel 7, a.
Hecate Græcorum, Anubis eſt apud Ægyptios 33, a.
Hecates Fons Virgineus 55, a.
Hempta Archetypum Numen, 21, b. 22. 23, a.
Hemphta ſupremum Numen 66, b.
Heptapyrgon quid, quidque notet 69, b.
Herbæ Hieroglyphicæ 39, a. Magicæ, ibid. b. & 40, a.
Herbis certis Ægyptios Deos evocare conſueviſſe 39, a.
Hermanubis Ibidis facie 59, a.
Hieralpha 52, b.
Hieroglyphica Ægyptiorum literatura quæ, qualis 20, a, b. 46, ſeqq.
Hieroglyphicæ ſeu Symbolicæ lectionis ſpecimina 47, a, b. 48, a, b. 49.
Hieroglyphicæ herbæ 39, a.
Hieroglyphica pleraque fuiſſe Amuleta ſeu Phylacteria 41, b.
Hieroglyphica Mumiarum 1, b. 12, a.
Hieroglyphica ad Numina attrahenda vim habere putabantur 19, a.
Hieroglyphica ſymbola malorum Geniorum machinationes arcere credebantur 41, a.
Hieroglyphica in Obeliſcis quid continuerint 20, a, b.
Hieroglyphica unde deſumta, vide Charact. Hierogl.
Hieroglyphicorum occaſione quæ de SS. Triade, Animæ ſtatu & origine, & ſimilibus traduntur cautè legenda 72, a, b.
Hieromantia 41, b.
Homerum Orpheum imitatus 5, a.
Horeum Numen 50, a.
Horus Oſiridis filius 21, a, b. 23, b.
Horus Averruncum Numen 31, a.

INDEX.

Horus *Mundi ſenſibilis geniale Numen* 29, a.
ſub forma Pueri pingitur 32, a.
Hori *amuletum* 42, b. 43.
Hyænæ, quæ, quibus, fœminæ vocatæ 3, b.
Hydroſchemata 69, a. 70, a, b.

I.

I'Βιωοϱφον *Numen* 69, a.
Ibis Agathodæmon 53, a. *Lunæ Symbolum* 70, b.
Ibium in Serpentes immiſſio 53, a.
Idealis literatura 68, a.
Ideales notiones, conceptus, in literatura Hieroglyph. 46, b.
Idola averrunca intra involucra Mumiarum *poni ſolita* 72.
Idola Laban *quæ, qualia fuerint* 42, b.
Imaginibus figuras Cæli fuiſſe impreſſas ad aliquid impetrandum 61, b.
Ipſullices, bracteæ magicæ 41, b.
Iſiacus Crater 68, b.
Iſiacum Velum 22, b. 23, b. 28, a. 30, b, 31.
Iſis *miniſtra* Iyngis 31, b.
Iſis *eſt* Venus Ægyptia 49, a.
Iſidis *amuletum* 42, b, 43.
Iſidis *habitus* 30, a.
Iſidis *pediſſequæ Meleagrides* 2, a.
Iſidis occulta patefaciam *formula Diis minandi* 44, b. 45, b.
Iudicum conſeſſus judicantium de mortuo ap. Ægyptios 8, b, 9.
Iynx 31, b.

K.

KNeph *Ægyptiorum* 57, b.
Κυκλο-οφι-πτερόμορφον *ſymbolum* 66, a.

L.

L*Apides Magici* Ægyptiorum 40, b.
Laquei Symbolum 31, b.
Lectio Hieroglyphica ſeu ſymbolica 47, a, b. 48, a, b. 49. 50.
Lectio Idealis Ægyptiorum 46, b.
Leo mendicans 4, a, b.
Leones, Nili *ſymbola* 1, b.
Libri in Obeliſcis deſcripti 23. a.
Librorum magicorum vis in pellendis dæmonibus 70, b, 71.
Literæ Ægyptiorum *ex Ibidis ſitu deductæ* 52, b. 53, a, b.
Literatura Hieroglyph. 46, ſeq. *Idealis* 68, a.
Litui ſymbolum 30, a.
Luctus Ægyptiorum 7, b, ſeq.

M.

M*Agia unde nata* 20, a.
Magicæ herbæ Moly, Mithridatium, &c. 39, b.
Magica Sacra 41, b.
Manus, vide *Brachium.*

Medicata corpora 23, a. *adde* Mumiæ.
Meleagrides 64, b. Iſidis *pediſſequæ* 2, a.
Animam Mundi ſignificant, ibid.
Memphis *hodie* Cayrus 12, a.
Memphis *Cryptarum &* Mumiarum *antiquitatibus clara* 10, a. 12, a.
Mentaſtro herbâ ad quid uſi 39, b.
Mentis humanæ vertigo 36, a.
Mercurius *ſeu* Anubis 21, b.
Mercurius Cyllenius 5, a.
Mercurius *quaſi duplex*, Ibiacus, *&* κυνόμορφ☉ 68, b.
Mercurius *omnium Scientiarum inventor* 68, b. *ſub Ibidis figura exhibetur*, ib.
Mercurius *primus Deorum in* Ægypto 53, a. *ſub forma* Ibidis *creditur tradidiſſe literas* ibid. b.
Mercurii *ludus cum* Luna 59, a.
Meſi *vel* Opht *Ægyptiorum* 58, a.
Meſitæ, Statuæ 69, a.
Μεμψύχωσις quid 2, a. *ſtolidum dogma* 4, b.
Minæ Ægyptiorum *Sacerdotum adverſum quoddam genus Deorum* 44, b. 45, a, b.
Miſi *Epagomenæ* 59, a.
Moiſes *unde ſic dictus* 69, a.
Momphta, Mompta *ſeu* Mophta *ex* moi *&* phta 33, b. 59, a. 69, a.
Momphta *quale Numen* 21, b, 23, a.
Momphta *Humidæ naturæ Præſes* 29, a.
Momphta *Genius aut Præſes aquarum* 59, a. *Humidi Præſes* 65, b. 69, b. *& Cuſtos Faviſſarum, Nili,* &c. 68, b. 71, b.
Momphtæ *influxus vitalis qua figura notetur* 67.
Momphtæ *regnum in Humida, & ſubterranea receptacula* 66, b.
Momptæ *miniſter* Canopus 55, b.
Monas, Dyas, Trias de D E O 26, a, b.
Mophta *vel* Canopus 33, b.
Mophta λεοντόμορφ☉ 68, b. *Leonina facie* 58, b, 59.
Mortuorum Iudicium ap. Ægyptios, 8, b.
Motus duo ſimpliciſſimi in rerum natura, qui 60, a.
Mumia *vox* Perſica 5, a. *quid ſignificans*, ib. *proprie* 6, a.
Mumia Gallicana, *ejusque interpretatio* 21. ſeqq. *in* Mumiam *co..ita corpora* 1, a.
Mumiarum *incorruptionis munus quibus ſpeciebus debeatur* 7, a. 23, a.
Mumiarum *conditura* 5, ſeqq.
Mumiarum *conſideratur tum Capſa tum Subſtantia* 30, a.
Mumiarum *picturæ & Hieroglyphica* 1, b. 10, b.
Mundum eſſe Animal quoddam 60, b.
Mundi tres, Intelligibilis, Sidereus, Hylæus 71, b.

Myops

I N D E X.

Myops herba 40, a.
Myſtæ nudi & toto corpore raſi Sacris operam dabant 70, a. vide & *Sacerdotes*.
Myſticum Legis Moſaicæ ſenſum non literis ſed animis commendatum 28, b.
Mythriaca Sacra Perſarum 3, b.

N.

NEphte *Averruncum Numen* 31, b.
Nilus Brachium Oſiridis *cur dicatur* 64, a.
Nili Cuſtos Mophta 68, b.
Noctua Sapientiæ ſymbolum 70, b.

O.

OBeliſci è *duriſſimis ſaxis* 20, a.
Obeliſci majores, & horum Symbola 20, b.
Obeliſci archetypi co[d]ices ſuperſtitionis Ægyptiorum 41, b. *libri Hieroglyphicorum prototypi* 25, a. 72, a.
Obeliſcorum titulus quàm magnificus 66, a.
Oculus ſymbolum Vigilantiæ 48, a.
Oracula celebriora tum Ægypt. *tum* Græcorum 38, a, b. Ammonium *omnium celeberrimum*, ibid b.
Oraculorum architectura unde profluxerit 20, a.
Oraculorum ortus & interitus à quibus pendebat 37, a. *interitus vera cauſſa* 37, b. 38.
Orthodoxæ doctrinæ adumbratio ?2, b.
Oſiris *primus Ægyptiorum Rex* , 2, b.
Oſiris *qui &* Thaultus 68, b.
Oſiris *triplex, quis* 71, b.
Oſiris Accipitrinus *Mundani caloris auctor* 71, b. *Solare Numen* 48, a. *Vitarum auctor* 69, b.
Oſiris *vis in Humidæ naturæ œconomiam* 66, a.
Oſiriacus Crater 65, a. 66, b.
Oſiris *Niloticus* 54, b.
Oſiris *malorum propulſator* 66, b.
Oſiridis & Iſidis *habitus* 30, a.
Oſiridis *amuletum* 42, b, 43.
Oſiridis brachium 64, a. fluxus *ibid.*
Oſiridis membra diſpergam *formula Superis quibuſd. minandi* 44, b, 45, b.

P.

ΠΑλιγγενεσία 2, a.
Patellarum Symbolum aut amuletum 71, b.
Pennæ Symbolum 26, a. 31, b.
Penna Velocitatis ſignum 48, a.
Pennæ Symbolum quà cognitionem DEI 56 b.
Pennæ in capite aſſurgentis Symbolum 52, a. 56, b.
Penna in capite ſiderativa 67. 70, b. *ſiderativa* Typhonis 70, b.
Pentapyrgon 50, b.
Periapta 20, a. 21, b.
Perſarum *Sacra Mythriaca* 3, b.
Perſea arbos qualis 65, a.
Perſeæ folium in Hieroglyphicis quid notet 32, b *folia Sapientiam ſignant* 65, a.
Pes: Pedes duo intra Craterem quid notent 66, b.
Pedum unius duorumve ſymbolum 65, a.
Phalli oculati ſymbolum 31, a. b.
Pheretrum inter Symbola 52, a.
Phialarum 4 cruce ſignatarum ſymbolum 54, b.
Phta *Deus* Ægyptiace 69, a.
Phta *Ægyptiorum, eſt* Vulcanus 52, b.
Phylacteria ap. Ægyptios *majora & minora quæ* 40, b, ſeqq.
Piſcinæ ſacræ Nota 67.
Platonis *pere[g]rinatio in* Ægypto 71, a.
Plutonem *Græcorum* Serapidem *fuiſſe* Ægyptiorum 33, b.
Polymantiam ſciendi appetitus futura peperit 36, b.
Prophylactica 20, a. 21, b.
Pyramidis ſymbolum 53, b.

Q.

QUatuor *recti anguli in Cruce conſiderantur* 60, a. 61, b.

R.

RAmus *triplex cum lituo inflexo* 67, a.
Religionis priſca differentia 21, b
Reticulatus habitus in Hieroglyphicis quid ſibi velit 22, b. 32, a. 35, b.
Rheæ *congreſſus cum* Saturno 59, a.

S.

SAbuloſum *Mare in* Africa 5, b. *ſubtus vacuum* 13, b.
Sacerdotum Ægyptiorum *habitus dum Sacra peragebant* 70, a. *eorundem minacia verba adverſum Superos quosdam* 44, b. *adde* Ægypt. *Sacerdotes*.
Sacra Magica 41, b.
Sacrificia Ægyptii *Sacerdotes quanta cura, ſtudio atque diligentia accurârint, & cur ſic* 62, a. ſeqq.
Sacrificium nullum apud Ægyptios *ſine herba, nullum ſi[n]e lapidibus, & cur* 40, b.
Salitis corporis hiſtoria prope Salisburgum *in* Bavaria *inventi* 7, a.
Scarabæus Orbis opifex 1, b. 2. *viva* Oſiridis *imago* 4, b.
Scarabæi amuletum 43, b.
Sceptrum Canis capiti impoſitum 68, a. κυνόμορφον *quid deſignabat* 56, a.
Sceptri Symbolum 25, b.
Sceptrorum quibus in Sacris Ægyptii *utebantur variæ formæ* 63, b.
Scuticæ Symbolum 30, a.
Secundei, Angeli 21, a.

Secun-

INDEX.

Sedere *Dominum notat* 31, b.

Senſus literalis, & idealis ſeu ſymbolicus 46, a. 47, b.

Sepultura Ægyptiorum 7, b, ſeqq.

Serapis, Canubus, Pluto 33, b. 34, a, b.

Serpentis ſymbolum 46 b, 47.

Serpens reconditiſſimum præſtantiſſimarum rerum Symbolum adhibitus 57, a. *Vitæ ſymbolum* 25, b. 26, a. 50, a. 55. b.

Serpens ἱερακόμορφος 60, a.

Serpens cum duabus Phialis quid 67.

Serpentis admirandæ naturæ deſcriptio 57, a, b. 58, 59.

Sibyllæ *qua ratione ſua eructârint* 72, b.

Silentium à Philoſophis & Theoſophis commendatum 28, a, b.

Simulacra: παιδόμορφον, κυνόμορφον, &c. 21. b. 29, a, b.

Siſtri ſymbolum 33, a.

Sol ſine Lunæ concurſu nihil efficit 61, a. *hinc Solis & Lunæ connubium*, ibid.

Sphinx ἱερακόμορφος 55, a, b.

Spiritus Mundi 59, a, b.

Spiritum Univerſi ſeu Animam Mundi trahendi ratio, Vide *Anim. Mund.*

Statuæ Oracula futura ut inſtruebantur 37, a. *hinc Statuæ animatæ* 37, b.

Statuæ averruncæ 40. ſeq.

Stellæ quæ p... cæli efficaciſſima 61, b.

Stell... Sphæræ quodnam ſymbolum 64, b.

Struppi inter Symbola 56, a.

Superiora Inferiorum ſimilitudine delectari 60, b. 62, b.

Symbola ex ſacris Inſtrumentis deſumta, ut Struppi, Tutuli, &c. 56. a.

Symbola pure Hieroglyphica 46, a. 47. *in Hieroglyphicis* κυριολογικά *quænam dicantur* 51, b.

Symbola apud Ægyptios *non tantum ſignificativa, ſed & effectiva fuiſſe* 21, a.

Symbola in Hieroglyphicis integros conceptus involvunt 48, b.

Symbola in Obeliſcis 20, b.

Symbolorum Hieroglyphicorum uſus in Obeliſcis 41, a. b.

Symbolorum Hieroglyphicorum congeries 49. 50.

T.

T *Characterem* Ægyptios *ab* Hebræis *mutuatos* 59, b.

Tauticus Character ſeu Crux anſata Divinæ Mentis motum & diffuſionem ſignificat 59, b.

Tautici Characteris efficax amuletum 60, b.

Thauſtus *Accipitrinum Numen* 59, b.

Thauſtus *ſive* Hammon 23, a. 29, a.

Thauſtus *ſive* Oſiris 51, a. 68, b.

Theologiæ vetuſtiſſima dogmata 27, a.

Θεομέρφωσις Ægyptiorum *Sacerdotum* 44, b. 45, a.

Thcongelide herbâ poti futura prædicebant 39, a.

Theoſophia in Obeliſcis expreſſa 21, a.

Θεεργία *Magiæ pars* 40, b.

Theraphim Laban *quid fuerint* 42, b.

Thoth *eſt* Mercurius 72, a.

Thot *eſt* Triſmegiſtus 24, a.

Timor ad Deum agnoſcendum pædagogus 24, a.

Traha inter Symbola 52, a.

Tres Reges *ſecundum* Platonem 27, a.

Triadis myſterium à Protoplaſto *per* Hermetem, Abrahami σύγχρονον, *ad* Ægyptios *derivatum* 27, b.

Tri..s Orphei 27, a.

Tridentis ſymbolum 69. a.

Triformis Globus, Triforme Numen 55. a.

Tutelares 5 Ægypti 58, b. 59.

Tutulus Oſiridis 30, a.

Tutuli inter Symbola 56, a.

Typhonis *machinæ* 66, b.

Typhonia *violentia* 50, a, b.

Typhoniam *vim Amuletis in collo, pectore,* &c. *arcebant* 42, b.

V.

V *Aſis Nilotici ſymbolum* 47, a.

Venus *generationis Dea* 61, a. Iſis *Ægyptus* ibid. a.

Verbenaca herba magica 39, b.

Upupæ ſceptrum 47, a.

Z.

Z *Aclus herba quam vim habeat* 40, a.

Zona Anubis *pectori circumdata quid deſignet* 56, b.

Zonæ 65, b. 69. a. *in Hieroglyphicis quid ſignificent* 1, b. 22. b, 23. a. 31, b. 32, a. 33, a. 35, b.

Zonæ cæleſtes Heroum, Semideorum 22, b. 23, a.

Zonarum Cæleſtium ſchema 67.

Ζωολατρεία Ægyptiorum 2, b.

ERRATA.

Leg. pag. 3 in med. *ἱερᾶ*. p. 40, a, lin. 8 à fine *Quid Teleſm.* p. 43, a, lin. 4 à fin. *detturpatum.* p. 59, a, l. antep. *conſpicit.* p. 67, l. 10 *duabus.* lin. pen. *ſiderativa.* In Indice poſter. *Charact. Hierogl. deſumti* ——— *quarum.* Si qua alia ex involuto MSto ſuperant ea & pauca ſunt, & in Indicibus correcta.

FINIS.